P.F. FRANCISCI DE CRYPTIS CASTRI... DISQUISITIONES THEOLOGICO-MORALES EX...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
43
9 B
21
FONDO EBOKENSE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. F. FRANCISCI
DE CRYPTIS CASTRI

Ex-Lectoris Sacræ Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ, olim Cleri Tudertinæ Diœcesis Examinatoris Pro-Synodalis, ac Custodis Provinciæ Seraphicæ Reformatæ D. FRANCISCI

DISQUISITIONES
THEOLOGICO-MORALES

Ex solidioribus Fundamentis excerptæ, ad Conscientiarum errores expendendos, atque Religionem a recentiorum impiorum, libertinorumque contradictionibus vindicandam, accomodatæ,

ATQUE IN TRES PARTES DISTRIBUTÆ

PARS TERTIA.



ASSISII MDCCXCIII

Ex Typographia Sgarigliana. Sup. Permissu.

Digitized by Google

Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis, quis inveniatur.

Ep. 1. ad Corinth. Cap. 4.

Ad Vos, o Ministrantes, sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis: non parva etenim vobis imminet ultio, si quemquam ullius culpæ conscii, hujus Mensæ (ac reliquorum Sacramentorum) *participem faciatis; Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur ..... Propterea Vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis: Hæc vestra dignitas est, hæc securitas, hæc omnis corona, non ut albam, et splendidam tunicam circumeatis induti.*

Chrysost. Hom. 83. in Math.

Digitized by Google

INDEX.

Quæstionum, quæ in hac Tertia Parte continentur.

Numerus arabicus paginam, Romanus quæstionem indicat.

IN BAPTISMI SACRAMENTUM

Disquisitio Prima.

QUæst. Unica: *Vtrum Sponſiones, quæ in Baptiſmate ſolemniter fiunt ſint veri nominis Vota?* pag. 1. n. I.

Disquiſitio Secunda.

Quæst. Unica: *Vtrum in Baptizatis Deus odio habeat concupiſcentiam?* 7. n. I.

Disquiſitio Tertia.

Quæst. Prima: *An Baptizandus cum affectu ad peccatum ſuſcipiat Sacramentum?* 11. n. I.

Quæst. Secunda: *Quid agere debet qui cum affectu ad peccatum Baptiſmi Sacramentum ſuſcipit?* 12. n. I.

Disquiſitio Quarta.

Quæst. Unica: *An Expoſiti ſint denuo baptizandi, quamvis ſchedulam collo appenſam habeant?* 13. n. I.

Digitized by Google

Disquisitio Quinta.

Quæst. Unica: *Utrum Infidelium pueri possint baptizari invitis Parentibus?* 16. n. I.

Disquisitio Sexta.

Quæst. Unica: *Utrum aliquis pro Defuncto infideli valeat ejus nomine denuo Baptismum suscipere?* 20. n. I.

IN CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM

Disquisitio Prima.

Quæst. Unica: *An extet Præceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis?* 22. n. I.

Disquisitio Secunda.

Quæst. Unica: *An ad Sacramentum Confirmationis suscipiendum sit præmittenda Confessio quando aliquis est mortalis culpæ reus?* 27. n. I.

IN SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM

Disquisitio Prima.

Quæst. Prima: *Quid est Sacrificium Eucharisticum?* 31. n. I.

Quæst. Secunda: *Quid dicendum de illis, qui Sacrificium externum negant, et quomodo absolvendi?* 38. n. X.

Disquisitio Secunda.

Quæst. Unica: *Quænam servanda est Methodus a Confessario dum incidit in Moribundum, qui voce, ac scriptis aliquod nostræ Fidei dogma negaverit?* 39. n. I.

Disquisitio Tertia.

Digitized by Google

Quæst. Prima: *Quinam fuerit Sacerdotis Christi typus in veteri Testamento?* 41. n. II.

Quæst. Secunda: *Utrum Missa sit Sacrificium tantum commemorativum, vel propitiatorium?* 43. n. IV.

Quæst. Tertia: *Quid dicendum de illis, qui credunt esse Sacrificium commemorativum?* 47. n. IX.

Disquisitio Quarta.

Quæst. Unica: *Quomodo concilianda Concilii Tridentini verba dum in una Sessione fatetur Conversionem panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi esse inexprimibilem; et in altera dicit convenienter appellari Transubstantiationem?* 49. n. I.

Disquisitio Quinta.

Quæst. Unica: *Quid sentiendum de Missis privatis, in quibus solus Sacerdos se communicat?* 54. n. I.

Disquisitio Sexta.

Quæst. Prima: *Num sit Fidei Dogma Christum obtulisse Deo Patri Corpus, et Sanguinem suum sub speciebus panis, et vini?* 59. n. I.

Quæst. Secunda: *A quo est absolvendus, qui hoc negaret.* 62. n. VIII.

Disquisitio Septima.

Quæst. Prima: *Quomodo revincendus, qui Christi Corporis existentiam in Eucharistia ad impossibilitatem reduceret?* 63. n. I.

Quæst. Secunda: *An iste esset denunciandus?* 67. n. VII.

Digitized by Google

Disquisitio Octava.

Quæst. Prima: *Num Missæ Sacrificium ex æquali portione aquæ, et vini confectum sit validum?* 68. n. I.

Quæst. Secunda: *Num sit licitum si fiat ex necessitate?* 69. n. V.

Disquisitio Nona.

Quæst. Unica: *Quid sentiendum de forma Consecrationis apud Græcos?* 71. n. I.

Disquisitio Decima.

Quæst. Unica. *Quid dicendum de usu Calicis Fidelibus a Concilio Tridentino interdicto?* 74. n. I.

Disquisitio Undecima.

Quæst. Prima. *An liceat dare Laicis Communionem intra Presbyterium?* 78. n. I.

Quæst. Secunda. *An liceat celebrare Missam in Ecclesia, in qua prius gravis percussio inter adstantes evenerat, sine sanguinis tamen effusione?*

Quæst. Tertia. *Num Percussor irregularis evadat, si Percussus post aliquos dies a percussione, superveniente febri, occumbit?* 84. n. X.

Disquisitio Duodecima.

Quæst. Unica. *Quid sentiendum de Sacerdote mortalis culpæ sibi conscio, si ex necessitate Pœnitentiam, Eucharistiamque sine Confessione administrat, Missamque celebrat?* 87. n. I.

Disqui-

Digitized by Google

Disquisitio Tertiadecima.

Quæst. Unica. *Num vetanda sit Communio illis Pœnitentibus, in quibus viget affectus ad peccata venialia?* 91. n. I.

Disquisitio Quartadecima.

Quæst. Prima. *An liceat communicari antequam condigna de propriis peccatis expleta sit Pœnitentia?* 94. n. I.

Quæst. Secunda. *Quid stabiliendum erga frequentem Communionem?* 97. n. 7.

Disquisitio Quintadecima.

Quæst. Unica. *Num Sacerdos non jejunus valeat celebrare, ne Moribundus orbetur Viatico?* 104. n. I.

Disquisitio Sextadecima.

Quæst. Unica. *Num licite ad Eucharistiam accedant, qui nocte præcedenti copulam conjugalem habuerunt?* 108. n. I.

Disquisitio Decimaseptima.

Quæst. Prima. *An Præceptum praviæ Confessionis a Tridentino datum afficiat non solum Sacerdotes, verumquoque et Laicos?* 114. n. I.

Quæst. Secunda. *Num hoc præceptum obliget sub mortali?* 118. n. VII.

Quæst. Tertia. *Num Onus satisfaciendi Capellaniæ impòrtet necessitatem celebrandi?* 120. n. XI.

Quæst. Quar. *Num distantia triumMilliariorum importet Confessarii deficientiam?* 119. n. IX.

Quæst. Quinta. *An simplex Confessarius in necessitate valeat a reservatis absolvere?* 119. n. X.

Quæst. Sexta. *Quando facienda est Confessio*

a Sacerdote, qui in necessitate celebravit, elicito tantum de peccato lethali actu contritionis? 121. n. XIII.

DE MISSÆ STIPENDIO.

Disquisitio Prima.

Quæst. Unica. *An unica Missa pluribus stipendiis possit Sacerdos satisfacere?* 123. n. I.

Disquisitio Secunda.

Quæst. Unica. *Utrum Sacerdos dives licite valeat Missæ stipendia percipere?* 128. n. I.

Disquisitio Tertia.

Quæst. Unica. *Num licitum sit retinere partem Stipendiorum in compensationem laboris, quem quis fert in Missarum collectione?* 130. n. I.

Disquisitio Quarta.

Quæst. Unica. *Num liceat duobus stipendiis satisfacere unica Missa, applicando scilicet pro uno fructum eucharisticum, pro altero fructum propitiatorium?* 132. n. I.

IN PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM.

Disquisitio Prima.

Quæst. Prima. *Num absolvendus sit Moribundus, quamvis nullam præbeat contritionis signum?* 134. n. I.

Quæst. Secunda. *Quomodo est absolvendus hujusmodi Moribundus?* 136. n. IV.

Disqui-

Digitized by Google

Diſquiſitio Secunda.

Quæſt. Prima. *Num ſit illicitum abominari peccatum ſimpliciter ob ejus turpitudinem?* 137. n. I.

Quæſt. Secunda. *An illis, qui de ſolis venialibus confitentur, ſit neceſſaria alicujus peccati lethalis jam abſoluti accuſatio?* 139. n. IV.

Quæſt. Tertia. *Num licitum Sæcularibus Monialium Monaſteria frequentare?* 143. n. VII.

Diſquiſitio Tertia.

Quæſt. Prima. *An ratione Jubilæi valeat Confeſſarius leves ſatisfactiones imponere?* 144. n. I.

Quæſt. Secunda. *An licitum ſit omnibus Pœnitentibus indiſcriminatim Orationes vocales pro ſatisfactione injungere?* 148. n. V.

Quæſt. Tertia. *An Pœnitentes, quibus leves impoſitæ fuerunt ſatisfactiones, teneantur propria voluntate ſibi impoſitam ſatisfactionem accreſcere?* 149. n. 6.

Diſquiſitio Quarta.

Quæſt. Prima. *Utrum Sollicitantis denuntiationi præmitti poſſit admonitio?* 151. n. I.

Quæſt. Secunda. *An Peccatoris denuntiationi præmitti poſſit fraterna correctio?* 154. n. VI.

Diſquiſitio Quinta.

Quæſt. Unica. *Num Sacerdos excommunicatus non tolleratus Sacramentalem abſolutionem licite, et valide queat Moribundo impertiri?* 156. n. I.

Diſquiſitio Sexta.

Quæſt. Prima. *Quid ſit Poteſtas Ordinis,*

et quid

et quid potestas Jurisdictionis? 163. n. II.
Quæst. Secunda. *An potestas Jurisdictionis a potestate Ordinis sit realiter separata, atque distincta?* 164. n. III.
Quæst. Tertia. *An Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ administrans absque ulla jurisdictione, et approbatione non solum illicite, sed etiam invalide id faciat?* 166. n. V.

Disquisitio Septima.

Quæst. Prima. *Utrum gemitus, et lacrymæ sint vera signa doloris?* 169. n. I.
Quæst. Secunda. *Quænam sunt vera signa doloris;* 172. n. VI.

Disquisitio Octava.

Quæst. Prima. *Utrum Pœnitens, qui Confessario injuste minitatur denuntiationem ad S. Officium incidat in Casum reservatum?* 174. n. I.
Quæst. Secunda. *Utrum Confessarius qui lapsus est cum Pœnitente utpote ab illa occasione Confessionis sollicitatus, sit denuntiandus?* 175. n. IV.

Disquisitio Nona.

Quæst. Prima. *An simplex timor gehennæ ad justificationem sufficiat: an vero aliquis amor Dei ulterius requiratur?* 178. n. I.
Quæst. Secunda. *An Amor Dei ad Justificationem requisitus debeat esse concupiscentiæ, vel benevolentiæ?* 181. n. VI.

DE

Digitized by Google

DE INDULGENTIIS.

Disquiſitio Unica.

Quæſt. Prima. *Quid ſint, et in quo conſiſtant Indulgentiæ?* 186. n. I.

Quæſt. Secunda. *Quid dicendum de Indulgentiis pro Defunctis?* 187. n. IV.

IN ORDINIS SACRAMENTUM.

Disquiſitio Unica.

Quæſt. Unica. *Quid dicendum de Clericorum Cælibatu?* 189. n. I.

IN SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Disquiſitio Prima.

Quæſt. Prima. *Utrum valeat hoc Sacramentum naturali Olivarum Oleo collatum?* 194. n. I.

Quæſt. Secunda. *An Oleum Extremæ Unctionis debeat eſſe ab Epiſcopo conſecratum, vel ſufficiat ſimplicis Presbyteri benedictio?* 197. n. VI.

Disquiſitio Secunda.

Quæſt. Prima. *Utrum adſit præceptum ſuſcipiendi Extremæ Unctionis Sacramentum?* 200. n. I.

Quæſt. Secunda. *Quid dicendum de iis, qui negligunt hoc ſuſcipere Sacramentum?* 203. n. IV

IN MATRIMONII SACRAMENTUM.

Disquiſitio Prima.

Quæſt. Prima. *Cur introductæ ſunt Matrimonii Denuntiationes?* 205. n. I.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæst. Secunda. *Utrum peccent Parochi, vel omittendo aliquam Denunciationem, vel illas eodem die proferendo; et an in aliquam pœnam incidant?* 207. n. III.

Quæst. Tertia. *Utrum simplex Sacerdos poſsit absolvere Parochum qui aliquam Denuntiationem omisit?* 268. n. VI.

Quæst. Quar. *Num valida sint Matrimonia sine tribus Denunciationibus celebrata?* 209. n. VII.

Disquisitio Secunda.

Quæst. Prima *Utrum ex proprii Mariti occisione sola libidinis causa patrata insurgat impedimentum criminis?* 210. n. I.

Quæst. Secunda. *An illi, qui hoc motivo Mariticidium patrarunt valeant simul matrimonio copulari, aut in ipso jam contracto persistere?* 211. n. IV.

Disquisitio Tertia.

Quæst. Prima: *Quodnam sit discrimen Divortium inter, et Repudium, et num utrumque sit licitum?* 212. n. I.

Quæst. Secunda: *Num liceat Divortium ob adulterii suspicionem?* 217. n. V.

Disquisitio Quarta.

Quæst. Unica: *An ob adulterium semper liceat Divortium?* 219. n. I.

Disquisitio Quinta.

Quæst. Prima: *Utrum ob adulterium Conjux innocens teneatur sub gravi petere divortium?* 222. n. I.

Quæst. Secunda: *Utrum incidat in excommunica-*

nica-

Digitized by Google

nicationem qui percutit Clericum repertum in fragranti cum propria uxore? 226. n. IV.

Disquiſitio Sexta.

Quæſt. Unica: *Quid facere debet Uxor, quæ a Marito minis inducitur ad adulterium patrandum?* 226. n. I.

Disquiſitio Septima.

Quæſt. Prima: *Cujus eſt conſtituere, et laxare impedimenta Matrimonium dirimentia?* 229. n. I.

Quæſt. Secunda: *An matrimonium cum Hebræa celebratum ſit validum?* 237. n. XI.

Quæſt. Tertia: *Quænam Methodus eſt a Confeſſario adhibenda cum reperit ex Confeſſione unius Conjugis Uxorem hebræam eſſe?* 239. n. XIII.

Disquiſitio Octava.

Quæſt. Prima: *Num Conjuges ob impedimentum dirimens, quamvis a Sacra Pœnitentiaria obtinuerint diſpenſationem, teneantur ad ſeparationem ſi impedimentum interim ex occulto evaſit publicum?* 241. n. I.

Quæſt. Secunda: *Num tales Conjuges quandiu vivunt ſeparati debitum conjugale invicem reddere queant?* 224. n. IV.

Disquiſitio Nona.

Quæſt. Prima: *Quænam ſunt Pœnæ Canonicæ contra Raptores?* 246. n. I.

Quæſt. Secunda: *An quis pœnas incurrerit contra Raptores, ſi Puellam rapuit ad peragenda ſponſalia cum altero?* 250. n. VII.

Quæſt. Tertia: *Num ille, qui approbavit*

Digitized by Google

Raptum in gratiam sui patratum sit ejusdem criminis reus? 251. n. VIII.

Quæst. Tertia: *An teneant Sponsalia in actuali raptu peracta, quamvis juramento firmata?* 251. n. IV.

Disquisitio Decima.

Quæst. Prima: *Vtrum Fœmina, quæ explendæ libidinis causa, quemdam rapuit juvenem, veri raptus crimine sit rea?* 253. n. I.

Quæst. Secunda: *Vtrum mulier, quæ præfatæ fœminæ præbuit auxilium, in pœnas contra Raptores inciderit?* 256. n. V.

Disquisitio Vndecima.

Quæst. Prima: *Quodnam peccatum est cum propriæ Vxoris Sorore delinquere?* 256. n. I.

Quest. Secunda: *An hoc facinus annexam habeat aliquam pænam, et a quò pæna isthæc valeat dispensari?* 258. n. IV.

Quæst. Tertia: *An peccet, qui post tale peccatum, debitum petit matrimoniale, quamvis fuerit a Confessario absolutus?* 259. n. V.

Disquisitto Duodecima.

Quæst. Prima: *An Clandestina matrimonia; sint vera matrimonia et quomodo intelligendum sit, quod Ecclesia semper detestata fuerit ipsa?* 260. n. I.

Quæst. Secunda: *Vtrum licita sit Poligamia; et qua de causa laudanda in antiquis Patriarchis?* 263. n. VI.

Disquisitio Tertiadecima.

Quæst. Unica: *Num Vxor teneatur debita defuncti Mariti solvere?* 266. n. I.

Digitized by Google

IN CENSURAS ECCLESIASTICAS, AC IRREGULARITATEM.

Disquiſitio Prima.

Quæst. Prima: *Num Parochus debeat Miſſam perficere, ſi dum ipſam celebrat ingreditur in Eccleſiam quidam Interdictus?* 269. n. I.

Quæst. Secunda: *Quid agere debet Parochus, ſi dum Euchariſtiam defert Infirmo, ſibi Excommunicatus adjungitur?* 272. n. V.

Disquiſitio Secunda.

Quæst. Unica: *An incidat in excommunicationem qui manus violentas injicit in Clericum, quamvis fortuito non percutiat?* 274. n.I.

Disquiſitio Tertia.

Quæst. Prima: *Num ſit peccatum ſine pravo fine deſcribere Puellis medicamentum aptum ad abortum procurandum?* 277. n. I.

Quæst. Secunda: *Utrum, qui hoc deſcribit medicamentum incidat in excommunicationem, ac reſervationem?* 282. n. IX.

Disquiſitio Quarta.

Quæst. Prima: *An librorum prohibitorum lectio ſub excommunicationis pœna interdicatur, et cui ſit reſervata?* 284. n. I.

Quæst. Secunda: *An licite quis valeat obtinere licentiam legendi libros prohibitos, illaque uti ſola curioſitate, ac jactantia?* 290. n. VII.

Disqui-

Digitized by Google

Disquiſitio Quinta.

Quæſt. Prima: *Utrum Confeſſarius evadat irregularis, ſi Pœnitens audita ipſius admonitione occumbit?* 291. n. I.

Quæſt. Secunda: *Num pro quocumque Defuncto liceat Sacrificium offerre?* 293. n. IV.

Diſquiſitio Sexta.

Quæſt. Prima: *An Mulier, que poſt conceptionem potionem ſumit ad abortum procurandum incidat in excommunicationem, et quando?* 294. n. I.

Quæſt. Secunda: *Num qui ad hoc conſilium præbet excommunicatione, ac irregularitate exiſtat innodatus, et quando?* 299. n. VI.

Quæſt. Tertia: *Quis valeat ab hac excommunicatione abſolvere?* 299. n. VI.

Quæſt. Quarta: *Quis poteſt ab hac irregularitate diſpenſare?* 300. n. VI.

Digitized by Google

IN BAPTISMI SACRAMENTUM

DISQUISITIO PRIMA.

BAptizandus solemni sponsione asserit se abrenuntiare Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus. Quare Merbesius contendit hanc promissionem veram Voti vim, rationemque præseferre.

Quæritur. An ita sit, et qualis hujus sponsionis obligatio?

RESOLUTIO.

I. MErbesius Montdidieri in Gallia natus, ex celebrioribus fuit sæculi proxime elapsi Scriptor. Parisiis Sacerdotio initiatus, et inter Congregationis Oratorii Alumnos adscriptus, universam Theologiam Moralem, non ex cænosis humanæ Sapientiæ fontibus, sed ex Evangelii spiritu, et veritate, Sanctorumque Patrum, et Ecclesiæ Oraculis haustam, duobus Voluminibus complexus est. Opus sane argumentorum sublimitate, atque eruditionum delectu, et copia Sapien-

tibus summopere acceptum. Tertia hujus Operis Parte, Quæstione undecima Merbesius hujus casus materiam nobis subministrat. Contendit nempe solemnes sponsiones, quibus in Baptismate Satanæ, et omnibus pompis ejus abrenuntiamus, esse veri nominis Vota, ac proinde Christianorum peccata semper enormem sacrilegii circumstantiam præseferre. Argumenta quibus Merbesius hanc Thesim propugnat, non ex Trivio, sed ex Patrum authoritate, et ex ratione Theologica derivantur. Plures enim Patres abrenuntiationem in Baptismo factam Votum appellant. Sacrilega itaque ejusdem transgressio. Ex Scripturæ oraculis scimus per Baptismum homines evadere viventia Spiritus Sancti Templa quocumque materiali Templo sanctiora. Materiale Templum polluere sacrilegum est facinus; a fortiori itaque sacrilegi habendi sunt Baptizati, Templum Dei vivi lethali culpa temerantes. Hæc fuse Merbesius, cui nonnulli Theologi subscribere non dubitarunt; plerisque tamen adversantibus. Quid igitur verosimilius a nobis hoc in negotio sentiendum sit, paucis exponam; quin tamen Auctoris dignitati aliquod detractum iri audacter præsumam.

II. Hujus Controversiæ difficultas ex analisis defectu suboriri videtur. Vitium equidem nunquam satis cavendum, quod et in scholasticis exemplis sæpissime edocemur. A Merbesio itaque quæro, quid Voti nomine intelligatur? Equidem *Promissio Deo facta de meliori bono*. En vulgaris Voti definitio; quæ, cum nimis generica sit, innumeris

meris æquivocationibus subjectatur. Nam etiam Propositum non peccandi de cætero dum in Sacramentali Confessione actus doloris elicitur; etiam Promissio adimplendi Pœnitentiam a Confessario injunctam; Promissiones sunt Deo factæ de meliori bono; nec tamen esse veri nominis Vota, quis unquam somniavit. Vulgaris itaque Voti definitio accurata non est.

III. Quæro nunc, cur Propositum non peccandi de cætero, aut Promissio adimplendi Pœnitentiam a Confessario imponendam, Vota non sint? Equidem quia nec Ecclesia, nec Pœnitentes hisce promissionibus Voti obligationem imponunt, nec intendunt. En itaque fontes analitice inventi, ex quibus Voti essentia derivatur: Nempe intentio vel Ecclesiæ, vel Hominis promittentis. Ex intentione Ecclesiæ Subdiaconatus præsefert perpetuæ castitatis votum. Unde etsi Subdiaconus hujusmodi votum emittere nollet, tamen castitatem servare teneretur. Ita quoque fit in Religiosa Professione. Ex intentione Ecclesiæ, non vero ex privatorum voluntate, hujusmodi Vota gignuntur.

IV. Cætera vero Vota, quæ privatim spondentur, essentialiter exigunt voventis intentionem, tantique, quantum vult, qui vovet. Hinc Deo promisisti jejunium certis diebus servandum; at sine obligatione sub Voti rigore? Hæc tua promissio Votum non est; deficit enim essentialis Voti character, nempe animus temet rigide obligandi. Hinc etiam Vota non sunt frequentes pollicitationes,

Digitized by Google

nes, quibus ferventiorem Divini Officii recitationem, oculorum custodiam, juxta Iobi pactum, uno verbo, severioris vitæ institutum Deo proponimus, atque pollicemur. Deest enim in hisce animus, ac intentio, qua nos sub Voti rigiditate obligare velimus.

V. Ex hac analisi en Thesis: Promissiones, quamvis de meliori bono Deo factæ, non sunt veri nominis Vota, nisi sub Voti rigore ex nostra, aut Ecclesiæ intentione obligemur.

VI. In promissionibus, quibus in Baptismate Satanæ, et pompis ejus abrenuntiamus, deest Ecclesiæ intentio, deest intentio nostra, qua sub Voti indole obligari velimus; ergo illæ Promissiones non sunt veri Nominis Vota, ac proinde quodlibet Christianorum peccatum non est sagrilegii nota damnandum.

VII. Dixi in hisce Abrenuntiationibus deesse nostram, et Ecclesiæ intentionem. Equidem qui nostro nomine abrenuntiant, de Voto emittendo ne cogitant quidem. Ecclesia vero nullibi hanc Voti obligationem non modo non præcepit, nec declaravit, quinimmo nec consuluit.

VIII. At Patres, inquit Merbesius, Vota scribunt Baptismales abrenuntiationes. Fateor et ego. Sed primo, Patres, qui pro Merbesio stare videntur, non sunt omnes, sed pauci. Argumenta autem, quæ aliquorum Patrum Testimonio innituntur, cæteris aut adversantibus, aut silentibus, juxta Theologiæ Canones, qui in Scholis explicantur, non dogmata sunt, sed meræ privato-

Digitized by Google

vatorum Hominum opiniones, quibus, salva quæ debetur Patribus reverentia, tuto possumus contradicere. Secundo, Votum appellatur, sed Votum late sumptum, nempe cujus transgressio sacrilegium vocari nequit. Revera nemo ex Patribus Christianorum peccata sacrilegia vocat. Quod sane dixissent, si baptismales Sponsiones veram Voti naturam præseferre existimassent.

IX. Sed instat. Templi materialis violatio sacrilegium est. A fortiori igitur peccatum hominis baptizati, qui est Templum vivum Spiritus Sancti. Respondeo, non quamlibet materialis Templi violationem sacrilegam esse, sed eas dumtaxat, quas sacrilegas Ecclesia decrevit, atque declaravit, ut Canones docent. Ecclesia nunquam, ut supra demonstravi, declaravit, voluitque Baptizatorum sponsiones esse veri nominis Vota, et culpas omnes sacrilegas esse: ergo paritas undequaque ruit. Non enim Voti obligatio ex unius, vel alterius Theologi placitis, sed ex Ecclesiæ Decretis, aut ex Pollicentium voluntate progignuntur. Hæc sunt, quibus innixus, Merbesio hac in re non adsentior, quin tamen temere velim, ut quilibet huic meæ sententiæ se subscribat.

X. Quamvis vero baptismales renuntiationes non esse veri nominis Vota propugnem, earumdem tamen obligationem esse gravissimam ex uniformi Patrum, et Theologorum consensione contendo. Et sane quilibet adversus Satanæ opera, Mundique pompas, veluti adversus teterrimam animarum pestem voce, et scriptis declamamus. At

quæ-

Digitized by Google

quænam sunt hæc Satanæ opera, et pompæ, quibus tanta solemnitate abrenuntiavimus? Hoc opus, hic labor est. In vitia declamare, facile. At difficillimum vitia definire. Ut paucis immensam pene Provinciam comprehendam, Diaboli pompas, et opera dico esse ea omnia, quæ nos separant a Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit omnia sperat, omnia sustinet. In his manifesti sunt Filii Dei, et Filii Diaboli: Omnis qui non diligit Deum, et Fratrem suum ex diabolo est. Hisce igitur veluti ex lydio lapide Baptizatorum opera probentur. Atque hinc quænam Satanæ pompæ, ac opera nitide, facileque dignoscemus.

Disquisitio Secunda.

Seripandus adversus Decretum de peccato Originali, ubi Tridentini Patres scripserunt: In renatis nihil odit Deus; *contendit eosdem Patres nimio in Lutheranos æstu abreptos. In renatis enim remanet concupiscentia, quam Deus odit, utpote semper adversus Spiritum Sanctum decertantem. Ita Seripandus.*

Quæritur: Num Seripando sit adhærendum?

RESO-

RESOLUTIO.

I. MOlina celeberrimus extinctæ Societatis Jesu Alumnus, et Eboracensis Academiæ Professor anno 1588. sibi persuadens de facili concordare posse cum divina Gratia liberum hominis arbitrium, in famoso illo suo Opere tot jurgiorum, ac controversiarum usque ad præsentem diem scatebra, jacuit primum sui Ædificii fundamentum, nempe: Hominem peccato originali infectum gratuitis, supernaturalibusque donis tantummodo fuisse spoliatum; quoad naturam vero illæsum remansisse: Inquit enim: *Eo ipso quod primus Parens peccavit, totum genus humanum ab eo propagandum donis omnibus suparnaturalibus juste fuit spoliatum, destitutæque sunt vires naturales eo vigore, quem a justitia originali, et ab aliis donis supernaturalibus erant receptura. At vires naturales tales secundum se manserunt, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem a principio conditi fuissemus. Peccatum namque primi Parentis solum in gratuitis nobis nocuit, et ob id naturalia in nobis ... post peccatum integra remanserunt, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta.*

II. Si existeret hoc Molinæ principium, proculdubio Seripandi Quæstio finita jam esset, quia in Renatis nihil adesset divino odio dignum; nisi velimus e cineribus suscitare Manichæorum impietatem, qui audebant asserere naturam humanam

vitia

Digitized by Google

vitiatam a Deo fuisse conditam. At nos non latet Ecclesiam pluribus in Conciliis, signanter in Arausicano II.: Sanctos Patres suis in scriptis, præsertim Fulgentium, Augustinum, et Thomam, firmiter tenere Hominem tunc non solum originalem amisisse justitiam, verum etiam gravissimis vulneribus fuisse perculsum, scilicet, ignorantia in mente, malitia in voluntate, infirmitate, et concupiscentia in appetitu sentiente, itaut luctuosa experientia nobis compertum sit, quod *Gen. Cap.* 8. legitur; *Sensum*, scilicet, *et cogitationem humani cordis in malum prona esse ab adolescentia sua*. Quapropter S. Augustinus *lib. de Civ. Dei Cap.* 22. *n.* 2. inquit. *Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid Pædagogi, quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura Sancta dicit, dilecti Filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, et prava cupiditas infrænetur, cum quibus malis in hoc sæculum venimus? Quid est enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis, et prona sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt utique, quibus labor fugitur, cum labor ipse, etiam qui est utilis, pœna sit.*

III. Inter

III. Inter luctuosissimos igitur effectus originalis peccati connumerari oportet Concupiscentia. Et quamvis per Baptisma tum peccatum originale, tum cætera omnia deleantur, et anima sanctificetur; quamvis remittatur pæna æterna, ac temporalis; quamvis denique fiat in nobis characteris impressio, per quem Filii Dei nominamur, et sumus; qui sunt tres hujus Sacramenti effectus: Nihilotamen minus remanet in nobis Concupiscentia, quæ die noctuque conatur nos inclinare, et allicere ad peccatum. Qua de causa Tridentinum Concilium Sessione Quinta, quæ die decima septima Junii anni millesimi, quingentesimi quadragesimi quinti celebrata fuit, quinque Canones legit de peccato originali pertractantes, et Canone quinto definitum fuit: *In Renatìs nihil odit Deus*.

IV. Hinc adversus hanc Propositionem Seripandus Ordinis S. Augustini doctissimus Theologus, et Prior Generalis, qui in Concilio præsens erat, et cujus vota Concilii Patres plurimi faciebant, nonnulla opposuit, conatusque est Assessores persuadere, ut verba illa: *In Renatis nihil odit Deus*, a Canone expungerentur. Innumeris Scripturæ locis, et Sanctorum Patrum, præsertim Augustini Testimoniis demonstravit Concupiscentiam, quæ certe in renatis perseverat, a Deo non esse, cum Dei opera omnia sancta sint, et bona: Eam esse peccatorum omnium radicem et angelum satanæ, a quo Sancti omnes colaphizati sunt. Concupiscentiam itaque, concludebat, Deus odio habet.

V. Ad-

Digitized by Google

V. Adversus Seripandum disputavit Bertanus Episcopus Fanensis ex Ordine Prædicatorum, ostenditque odium inimicitiæ ab odio displicentiæ distinguendum esse. Homo in Christo renatus per Baptisma, et Filius Dei adoptivus effectus, nequit esse Dei inimicus, dicente Apostolo ad Romanos *cap. 8. Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu*. Igitur concupiscentiam, quæ in Baptizatis remanet, odio inimicitiæ Deus prosequi nequit. Prosequitur tamen odio displicentiæ, eo sane pacto, quo Mater amantissima, cui Filius cæcus nascitur, quamvis ei Filii cæcitas summopere displiceat, tamen Filium non modo non odit; quinimmo ob cæcitatem eum plus diligit, magisque ejusdem miseretur.

VI. Igitur Concupiscentia est mentis cæcitas, et Angelus Satanæ, hoc est, tenebrarum, in qua cæcitate omnes nascimur, et quæ in Renatis quoque perseverat. Ea equidem displicet Deo, quomodo Filii cæcitas peramanti Matri solet displicere. Eadem tamen non est divinæ Inimicitiæ, et odii objectum; quinimo ob hanc mentis cæcitatem viscera Misericordiæ Dei nostri magis, magisque commoventur, et miseratus ipse cæcorum Filiorum status, radiis suæ gratiæ eos visitat, et illuminare nititur sedentes in tenebris, et in umbra mortis, ut dirigat pedes nostros in viam pacis. Nocet equidem Concupiscentia, sed volentibus, et consentientibus. Iis vero, qui adversus ipsam bonum certamen certantes mortificationem Jesu Christi in Corporibus suis circumferun-

Digitized by Google

feruntur, non modo non nocet; quinimmo summopere eos adjuvat; quod virtus in infirmitate perficitur, et omne gaudium reperitur cum in varias tentationes incidimus. In iis Concupiscentia est probatio fidei, quæ patientiam operatur, et patientia opus perfectum habet, et coronam Justitiæ, quam reddet justus Iudex. Nihil igitur in Renatis remanet, quod vere odio Deus habeat, quamvis plurima perseverent, quæ Deo displiceant. Iure itaque verba illa Canoni quinto a Tridentinis Patribus adjecta fuere; ac per consequens Seripando adhærendum non est.

Disquisitio Tertia.

Beniamih Judæus dum baptizatus fuit, usuras, et illicitos quosdam contractus non modo detestatus non est; quinimo amore prosecutus, ab iisdem faciendis non cessavit factus Christianus. Nunc eorum pænitet.

Quæritur: Quid sibi faciendum?

RESOLUTIO

1. CHaracter Sacramentalis est primarius, essentialisque nonnulloram Sacramentorum effectus, qui semper infallibiliter producitur, dummodo rite conferantur; quique propterea efficit, ut Sacramenta eadem nullatenus iterari queant. Ex charactere Gratia Sanctificans derivatur, dummodo pec.

Digitized by Google

peccato non impediatur. Est Sacramentorum Character, juxta Scripturæ phrasim, Fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Hinc sicuti fontes aquas non emittunt, si obstaculo obturentur; remotoque obstaculo, illico in aquas erumpunt. Ita divinum Sacramentorum signaculum gratiam non effundit, quousque peccato obseretur. Obrumpantur igitur peccatorum repagula, atque illico ex charactere veluti ex Fonte signato fluent emissiones Paradisi, nempe Gratiæ, santificantis.

II. Hæc sunt Ecclesiæ Dogmata, a quibus ne Lutherani quidem dissentiunt. Hisce igitur Beniaminus instruatur. Dum ipse baptizatus fuit characterem recepit; qui gratiam sanctificantem non germinavit ob sacrilegum amorem, quo peccata in ipsa Baptismi susceptione, ac subinde prosecutus est. Peccata post Baptismum commissa nonnisi per Sacramentalem Confessionem tolli queunt. Dolens igitur confiteatur Beniaminus noster; atque ita sceleribus illis sublatis, quibus baptismalis characteris virtus veluti captiva tenebatur; illico emergiet sanctificantis gratiæ effusio, qua et peccatum originale, et ea omnia quæ, ante Baptismum patrata sunt, omnino exterminabuntur. Ex aqua, et Spiritu Sancto renascendum est juxta Christi Præceptum. Beniaminus dum Baptismum accepit ex Spiritu Sancto renatus non fuit. Sanctus enim Spiritus non habitat in corpore subjecto peccatis. Hæc igitur dolore, et Sacramentali Confessione deleat, adeatque cum fiducia ad Thronum gratiæ, atque ita ex Spiritu Sancto in Filium Dei renascetur. *Di-*

Digitized by Google

Disquisitio Quarta.

Hospitali Infans recenter natus exponitur habens schedulam collo appensam de collato Baptismate.

Quæritur: Quid agendum?

RESOLUTIO.

I. CUm Christi Baptismus sit Sacramentum illud, a quo, ut docet D. Cyprianus *Ep.* 73. ad Jubajanum, incipit omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio; certum, atque inconcussum est esse omnibus necessarium ad salutem consequendam; ita tamen ut talis, ac tanta connexio intercedat inter Baptismum, et salutem, ut nemo capax existat ad gloriam consequendam, nisi Baptismi Sacramento vel in re, vel in voto munitus sit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Est ipsiusmet Christi Domini Oraculum.

II. A necessitate desumendam esse certitudinem de hujus Sacramenti administratione in Infantibus rationis usu carentibus, Justitia vult, charitas exposcit, prudentia requirit. Agitur enim de assicuranda proximi salute ex Baptismi receptione profluente; quis igitur erit a religione, et humanitate tam alienus, qui omnem non adhibeat operam, et curam non satagat ponere sanctiorem, ut proximi sui animam per Baptismi collationem in tuto collocet?

III. Me-

Digitized by Google

V. Hinc Patres Concilii Aquensis titulo de Baptismi Sacramento, et quæstionem dirimunt, et methodum insimul præscribunt tali in casu practicandam, dicentes: *Licet expositus Infans scriptum habeat collo appensum, quo ille baptizatus significetur: Si tamem re diligenter perquisita... adhuc dubium sit eum baptizatum esse, ea conditionis formula baptizetur: Si es baptizatus, Ego te iterum non babtizo: Et si nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Eodem denique modo loquitur Tolosana Synodus celebrata anno 1590. *Part. 2. Cap. 2. de Baptismo. Cum Projectis, expositisque Puerulis, licet affixa reperiatur schedula, quæ eos baptizatos esse testetur; in id tamen an verum, fictumque sit, Parochi diligenter inquirent. Si certi nihil compererint inscripto cartulæ nomine, eos sub conditione baptizabunt.* Quibus ergo adhærendum est? Aliquibus Moralistis a scrupulis nimis oppressis, ne iteretur Sacramentum; Vel potius tot Synodalibus Decisionibus, ne infantium Animæ periculo æternæ salutis exponantur? Determinet prudens Sacramentorum Minister.

Disquisitio Quinta.

Zenobia Obstetrix cum Judæorum infantulos in mortis periculo versari conspicit, eos clam baptizat.

Quæritur: An licite?

RE-

RESOLUTIO

I. DE Baptiſmo Puerorum infidelium invitis Parentibus acriter in Scholis diſputatum eſt. Hujus Controverſiæ exordium octavo Sæculo eſt referendum; Cum nempe piiſſimus Rex Carolus Magnus Saxones adhuc Ethnicos juſto bello aggreſſus, eosque pluribus præliis fractos ſibi ſubjugaſſet, ad Baptiſmum ſuſcipiendum coegit. Ex conſultu Theologorum totius Galliæ, qui infidelium Baptiſma vi quoque ſuſceptum adprobavere, Carolus Magnus Saxonis pacem poſtulantibus, inter præcipuas conditiones recipiendum Baptiſma omnibus impoſuit.

II. Rurſus ſæculo decimo Siſibutus Hiſpaniarum Rex, cum vellet Judæos tunc temporis in Hiſpaniis magna copia commorantes ad Chriſtianam fidem perducere, et cum prædicationibus, et conſiliis id obtinere non potuiſſet, Salmanticenſes Theologos conſuluit, num ſibi liceret vi eosdem ad Baptiſmum compellere. Adfirmantibus Theologis Salmanticentibus, Judæi quamvis inviti, Baptiſmum recipere debuere. Caroli Magni, et Siſebuti exempla complures ſubſequentibus temporibus Europæ Principes imitati fuere, prout in hiſtoria Eccleſiaſtica legimus.

III. Elapſo ſæculo, anno nempe 1675. Liburni cum Filius Hæbreorum conſignatus fuiſſet Nutrici Chriſtianæ in deficientia Nutricum Hæbrearum, dum eſſet proximus morti, fuit bapti-

Digitized by Google

zatus. Ab Episcopo hoc factum delatum fuit ad Sacram Congregationem, rogatumque, ut sententiam pronuntiaret. Re mature discussa Sacra Congregatio decrevit: *Prædictum Puerum fuisse licite baptizatum*. Rationes quibus Sacræ Congregationis decisio fulcitur, et quas Benedictus XIV. Romanus Pontifex in Ep. ad Episcopum Tarsensem Urbis Vicesgerentem suo voto confirmat, ad hæc Capita revocantur.

IV. Primo: Triplicem infidelium speciem distinguit Sacra Congregatio; Scilicet Infideles, qui Christianorum dominio nullo modo subjiciuntur, sed propriis legibus sub suis Principibus vivunt, et gubernantur, quomodo nunc sunt Turcæ, Sinenses, et plures Aphricæ, et Americæ Nationes. Secundi generis sunt illi, qui Christianis imperantibus sese subjecere, ea tamem conditione, ut liberum sit ipsis suæ Religionis exercitium, atque observantia: Quomodo sunt Judæi per totam fere Europam, et Turcæ in Provinciis finitimis Venetorum, atque Austriæ. Denique tertium genus illos Infideles complectitur, qui jure belli, vel Emptionis, Mancipia Christianorum evadunt; cujusmodi sunt nunc temporis ferini Americani, dum armorum vi captivi fiunt ab Hispanis, et Gallis; necnon Mauri Aphricani, qui ab Europæis emuntur. Horum equidem Filii, etiam Parentibus invitis, baptizari possunt, et debent. Mancipia enim vel jure belli, vel jure emptionis jus omne in filios illico amittunt, et jus in Dominos integrum transfertur. Horum itaque Mancipiorum Filii non sunt

rentum, sed Dominorum, et dum baptizantur nulla fit patriæ potestati, quæ jam evanuit, injuria.

V. At nequeunt Infidelium primi, et secundi generis baptizari, si Parentes non consentiant. Hujusmodi enim Infideles integro paterno jure gaudent, quo nonnisi legitimo titulo accedente, spoliari possunt. Et sane, ut de Judæis loquamur, isti ea conditione inter Christianos incolunt, ut nempe suæ Religionis exercitium sit eisdem liberum, neque ab ejusdem observantia impediantur. Pactis standum naturalia, et divina jura clamant. Igitur qui invitis Parentibus Judæorum Puerulos baptizaret, naturali, divinoque juri contradiceret.

VI. Secunda Sacræ Congregationis ratio est Fidei abjurandæ periculum, cui pueri baptizati hoc in casu exponerentur; Quod sæpissime factum esse Historiæ memorant. Parentum enim, et Filiorum reciprocus amor tanta vi a natura inditus est, ut nonnisi difficillime obliterari possit. Pueri igitur Judæorum in tenella ætate baptizati facillime possent ex paterno amore cum ad rationis usum pervenerint, ludificari, atque induci, spreta Religione, quam ignoranter suscepere, Parentum Sectam amplecti.

VII, Tertia ratio est Ecclesiæ consuetudo, quæ juxta Apostolicarum Traditionum Regulas vim Legis jure, meritoque præsefert. Neque enim Constantinus, neque Theodosius quamvis Sanctissimi Imperatores hujusmodi Baptismum imperavere. Ita neque Silvester, neque Ambrosius, neque ullus ex Sanctis Ecclesiæ Patribus de baptizandis

Judæo-

Digitized by Google

Judæorum Filiis, Parentibus nescientibus, scripsere, vel somniavere. Quod sane fecissent, si id Religioni consonum esse arbitrati forent. Quod si temporis decursu Carolus Magnus, Sisebutus, aliique Principes id fecere, eorum zelus excusandus est, non imitandus.

VIII. Denique Sacra Congregatio Sanctorum Patrum Monumentis innixa observandum monet, quod dum infantes in certo mortis articulo versantur, licite baptizari queant. In morte enim evanescit Patria potestas, evanescitque futuræ subversionis periculum. Hinc ex Baptismo hujusmodi Infantum nulla nec Parentibus, nec Religioni injuria irrogatur.

IX. Hisce positis laudandam Zenobiam pronunciamus, et licite Baptismum infantulis illis administratum. Conditiones tamen pensitandæ sunt, servandæque, prout accurate docent Theologi, et præsertim quod mortis articulus adeo sit certus, ut moraliter saltem certum sit infantulum diu vivere non posse. Si enim post administratum Baptisma convalesceret, en patriæ potestatis injuria, en subversionis in adulta ætate periculum! Idcirco si hoc accideret, tenetur Zenobia Episcopum hac de re certiorem facere.

Disquisitio Sexta.

Cum D. Paulus Ep. I. Corinth. Cap. 15. *scribat:* Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut

quid

Digitized by Google

quid et baptizantur pro illis? *Hinc Cerinthus Christianus pro defuncto Judæo novum Baptisma suscipit.*

Quæritur: Quid Canones de hac Cerinthi pietate?

RESOLUTIO.

I. CErinthus, qui fuit Apostolorum Auditor, vel prout aliis placet, ipsius Christi Discipulus, primus fuit, qui docuit, quod si aliquis de vita decedit sine Baptismo, alius pro ipso in ipsius nomine baptizandus, ne ubi resurrexerit, pœnas luat, eoquod non acceperit Baptisma. Hujus hæresis ortum, progressum, nec non confutationem fuse legimus apud S. Epiphanium. Hinc ad hunc errorem exterminandum Canones Ecclesiasticas censuras, et pœnas decernere cæperunt, quas deinde adversus rebaptizantes Stephanus Romanus Pontifex, et quamplurima Concilia confirmarunt. Innumeris proinde anathematum pœnis, ac præsertim excommunicationi majori summo Pontifici reservatæ, et perpetuæ irregularitati Cerinthus subjicitur.

II. Neque ejus pietas ex D. Pauli testimonio excusari potest. Hujus Testimonii interpretationes variæ sunt, atque inter sese pugnantes. Quod quidem ostendit inextricabilem pene esse hujus loci difficultatem. Communiorem referam explicationem, quæ magis est Apostoli textui, et scopo accomodata.

III. Nonnulli ex Cerinthi Discipulis, qui in ea

Digitized by Google

ea Ecclesia cum Fidelibus morabantur, Resurrectionem mortuorum negabant, et ex fidelibus plures in hunc errorem compellebant. Ut igitur hanc hæresim ex Corinthiis exterminaret Apostolus, ipsis hanc Epistolam scripsit, in qua ad demonstrandam Mortuorum Resurrectionem inter alia argumenta, illud quoque refert, quod *ad hominem* appellatur. Scilicet ajebat Apostolus. Vos o Corinthiani vultis, ut vivi baptizentur pro mortuis, qui sineBaptismate interiere. Atqui Baptisma hujusmodi nihil omnino juvat si mortui non resurgunt; ergo si hujusmodi Baptisma vultis, etiam mortuorum Resurrectionem admittatis oportet. Mortuorum itaque Baptisma non admittit Apostolus, sed eo utitur, ut Cerinthianos ex ipsorum principiis redarguat, urgeatque, ut Resurrectionem mortuorum fateantur. Eo sane pacto quo Christiani Turcas revincere solent ex Alcorano. Ita enim Turcas aggredimur. In Alcorano scribitur, Christum Sanctissimum fuisse Prophetam, ejusque Matrem semper mansisse Virginem: Atqui vos, o Turcæ, Alcoranum firmissime creditis: necesse est igitur, ut etiam Christi sanctitatem, et Matris Virginitatem fateamini. Argumentum sane invictissimum, quod adversarios undequaque perstringit, jugulatque.

IN CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Disquiſio Prima.

Hambertus, etſi ætate longevus, nunquam tamen Confirmationem ſuſcepit: Reprehenſus de hac negligentia, reſpondet: Hujuſmodi Sacramentum ex graviſſimis Theologis, quos audivit, abſque ulla etiam veniali culpa omitti poſſe, cum nullibi extet Præceptum de illo ſuſcipiendo.

Quæritur: An huic opinioni ſit adhærendum?

RESOLUTIO.

I. DIfficultatibus, quæ ad Baptiſmi theoriam, et praxim ſpectant, jam ſatis enucleatis, rerum ordo expoſtulat, ut ea quoque diſcutiamus, atque eradicemus, quæ adverſus evangelicæ Doctrinæ ſpiritum, et veritatem de Confirmationis Sacramento veluti zizania inter electum triticum ſuperſeminavit inimicus homo.

II. Nullibi extare Præceptum, quo Chriſtifideles Confirmationem ſuſcipere teneantur, ejuſque voluntariam omiſſionem ne venialem quidem culpam præſeferre; nullamque ad tantum Sacramentum recipiendum diſpoſitionem expoſtulari, niſi contritionis actum ab iis, qui lethali culpa inquinantur, ſunt monſtruoſa Caſuiſtici ſyſtematis Theo-

Digitized by Google

Theoremata, Patribus nostris inaudita, Gallicanæ, et Romanæ Ecclesiæ cænsuris sæpe confossa; sed iterum semper veluti fabulosa hydrae capita rediviva, quæ hac in Disquisitione Hambertus, et in sequenti Herardus sub Dianæ, Cabassutii, Tamburini, aliorumque id generis Theologorum benignissimo genio, nostris etiam temporibus propugnant.

III. Confirmationis institutionem illico Christi Domini præcepto firmatam jure, et facto facile demonstrat quilibet veri nominis Theologus. Christus jam jam ad Patris dexteram ascensurus, prout *Act. Cap.* 1. legimus: Præcepit Apostolis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, nempe Spiritus Sancti adventum, quo in recepta jam Christi gratia confirmarentur, cæterosque eadem Sacramenti virtute confirmarent: *Præcepit*, legimus, non *consuluit*. Atque ut huic Salvatoris mandato obtemperarent Apostoli, quot difficillima, atque periculosa itinera aggressi sunt, quot quantisque laboribus desudavere? Cum audivissent Apostoli, qui erant Hierosolymis quod Baptismum Samaritani recepissent, illico miserunt ad eos Petrum, et Ioannem, ut Confirmationis Sacramento in fide solidarentur. Ita ad Ephesios recenter sacro lavacro regeneratos, ex Spiritus Sancti Præcepto, segregati illico fuere Paulus, et Barnabas, ut iisdem Sacramentum Confirmationis administrarent. In tota quanta est Apostolorum historia, ubi de Confirmatione habetur Sermo, semper præceptum legimus, atque ubique

pa-

Digitized by Google

parem eorumdem vigilantiam, et sollicitudinem, ut credentes baptizarent, et baptizatos confirmarent.

IV. Ex hisce Scripturæ Oraculis, et Apostolorum praxi ortum duxit uniformis, et constans omnium Sanctorum Patrum Traditio de necessitate Confirmationis, quam veluti primarium Catholicæ Ecclesiæ Dogma usque ad sæculum decimum tertium omnes venerati sunt, et nemo ex impudentioribus quoque Hæreticis aggredi somniavit. Sed cum eo tempore nova opinandi methodus emerserit, et disputandi furor Catholicas Scholas invaserit; tunc primum factum est, ut abjecta Sanctuarii Statera, omnia fallaci humana ratione dijudicarentur, et Novatores Lutherani, et Calviniani Confirmationis necessitatem irriderent, ac subinde veluti Spiritui Sancto injuriosam, et papisticum inventum traducerent. Opinionis novitatem manifestissimum cujusque hæresis characterem atra censura confixit Academia Parisiensis, ac deinceps Tridentina Synodus, Scriptis undequaque Theologi confutarunt, et innumera Provincialia Concilia, Episcopi Pastoralibus Literis, atque Bullis Romani Pontifices, quos inter Benedictus XIV. de ritibus Græcorum veluti repetito fulmine confixere.

V. Ex hac brevi Confirmationis Historia hoc fluit pro Casus Solutione Argumentum. Christus Salvator præcepit Apostolis, et Discipulis, ut expectarent promissionem Patris, Adventum nempe Spiritus Sancti, quo in Fide confirmarentur. Hujusmodi Præceptum Sermone, et Opere Apostoli incul-

Digitized by Google

inculcarunt, atque exactissime implevere, et uniformis, atque perennis totius Ecclesiæ traditio viribus omnibus docuit, atque propugnavit. Hamberti igitur Opinio contendentis nullam esse Confirmationis necessitatem, nullumque Præceptum, Scripturæ Oraculis, Apostolorum praxi, et Eclesiæ Traditioni adversatur. Atqui, quæ hisce adversantur, aut hæreses sunt, aut hæresi quam proxima. Igitur Hamberti opinio aut hæresis est, aut hæresi quam proxima.

VI. Sed audiamus paullisper Cabassutium. Asserit itaque gravissimos Theologos, quos inter etiam D. Thomas recensetur, docere nullum nec divinum, nec Ecclesiasticum præceptum esse, quo Confirmationis Sacramentum recipere teneamur.

VII. Verum difficultas hæc facillime evanescit. Concedimus itaque nonnullos Theologos nobis hac in re adversari. At primo observandum hosce Theologos scripsisse post sæculum decimum secundum. Igitur hæc eorumdem doctrina nimiam sapit novitatem. Ex Theologicis Regulis hoc est inconcussum: Id verius, quod prius: Nullamque Fidem habendam novis opinionibus, quas Patres nostri ignoravere. Ruit itaque hac ex parte Theologorum horum authoritas.

VIII. Secundo: Theologi, ad quos Cabassutius appellat, pauci sunt, et privati Doctores. Ex adverso vero innumera Concilia, Episcopi omnes, et Romani Pontifices, et nostris diebus Benedictus XIV. laudato superius loco sub gravissimi peccati pœna declararunt, quemlibet Baptizatum

Digitized by Google

zatum ad Confirmationis Sacramentum recipiendum teneri, nisi legitimo impedimento excusetur. Quæ igitur auctoritas privatorum Doctorum manipulo adversus tot, tantasque Conciliorum, Patrum, et Pontificum Sanctiones?

IX. Tertio tandem Theologi, quos Cabassutius refert, excusant a peccato mortali eos, qui Confirmationem omittunt; dummodo tamen id ex contemptu non proficifiscatur. Contemptus est voluntaria rei alicujus omissio, quam facillime obtinere possumus, et obtinere negligimus. Ubi ergo ignavia est, oscitantia, et habitualis neglectus, contemptus quoque sit oportet. Illi igitur, qui cum Hamberto nostro tam longo tempore confirmari nolunt, præbent manifestissimum contemptus signum. Igitur etiam ex authoritate Theologorum, quos Cabassutius laudat, gravissimi sceleris rei decernuntur.

Disquisitio Secunda.

Herardus mortalis culpæ conscius Confirmationem suscepit elicito Contritionis actu, et omissa Confessione, quamvis confiteri commode posset. Hac de re nunc confessus est apud Cabassutium Confessarium, qui eam omissionem peccatum non judicavit.

Quæritur: An revera ita sit, ut Cabassutius judicat?

RE-

RESOLUTIO.

I. Superiori in Disquisitione diximus Cabassutium, Dianam, Tamburinum, aliosque defensare ad Confirmationis Sacramentum recipiendum nullam expostulari dispositionem, nisi contritionis actum ab illis, qui lethali culpa sunt inquinati. Sed ex ipsius Confirmationis natura prædicta in Disquisitione explicata jure, meritoque patet eamdem Spiritus Sancti Sacramentum appellari. Hinc Baptismati, et Eucharistiæ passim a Patribus proculdubio comparatur. Paulus quapropter ad Titum scripsit. *Deus secundum Misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti*. Hoc est, ope Baptismatis regenerati sumus, et Confirmationis beneficio renovamur. *Ego*, dixit Christus, *rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit Vobis*. Ex quibus colligunt Patres non modo Christum, sed Spiritum Sanctum quoque, omnium Salvatorem esse; Per Christum, Scilicet in Baptismate; per Spiritum Sanctum in Confirmatione justificamur gratia ipsius, ut hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, ut Paulus loquitur loco laudato.

II. Hinc in Eucharistia Christus vere sumitur, ejusque Corpus, et Sanguis fit sumentium vere cibus, et potus; atqui in Confirmatione vere Spiritus Sanctus diffunditur in cordibus nostris, ut adjuvet infirmitatem nostram, et postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ut idem Paulus

ad

ad Romanos scribit. Ergo sicuti in Eucharistia, ita et in Confirmatione recipienda status gratiæ in suscipiente requiritur.

III. Hæc sunt sane totidem non Casuistici alicujus Liberculi, sed masculæ Theologiæ Dogmata. Si ergo Christus, et Spiritus Sanctus ambo Paracliti, hoc est, Salvatores sunt; quis serio dixerit sine Confessione ab illo, qui lethali culpa est infectus, recipi Confirmationem posse, cujus ope per Spiritum Sanctum in vitam æternam peculiari modo solidamur? Qui manducat indigne Corpus, et Sanguinem Domini, judicium sibi manducat, et bibit. Quare quisque lethalis criminis sibi conscius, debet, si potest, Sacramentalem Confessionem præmittere. Quomodo itaque a sacrilega culpa excusandus Herardus noster, qui mortalis sceleris reus, quamvis confiteri commode possit, tamen, neglecta Confessione, Confirmationem recepit, in qua Spiritus Sanctus cordis penetralia ingreditur, signans hominem unctione gratiæ suæ, et pignore hæreditatis æternæ?

IV. Cabassutius, qui nullius, ne venialis quidem culpæ reum Herardum judicat, inquit: Actus contritionis proculdubio sufficit, ut quis, si mortalis culpæ conscius est, ad Confirmationem digne accedat. Cum de sola Eucharistiæ perceptione ex Concilio Tridentino statuatur, ut Confessio præmittatur; Ergo Herardus alicujus criminis reus non est adjudicandus.

V. Nos vero dicimus, quod actus contritionis suf-

sufficiens sit, ut quis digne tantum Sacramentum recipiat, si actus veræ contritionis ea facilitate fieri, atque obtineri posset, quo Casuistæ pollicentur. At cum alibi demonstravimus Contritionis actum difficillimum esse, et rarissimum Spiritus Sancti donum, qui spirat ubi vult, et quando vult; nemo, nisi temere, potest contritionem suam adeo perfectam credere, ut ejusdem ope vere peccata sua exterminata fuerint. De propitiato peccato noli esse securus. Nemo scit utrum amore, vel odio dignus sit. In tanta igitur rei dubitatione qui Confessionem Sacramentalem voluntarie respuit, nonne evidentissimo sese exponit periculo contristandi Spiritum Sanctum, qui per hoc Sacramentum infunditur in cordibus nostris? Peccatum autem in Spiritum Sanctum est omnium periculosissimum; nam ex Scriptura legimus: Omne peccatum contra Filium hominis remittetur, peccatum autem contra Spiritum Sanctum non remittetur neque in hoc sæculo, neque in altero. Hinc præcipua causa, ob quam Judaicus populus sempiterna reprobatione, atque desolatione reprobatus fuit ex eadem Scriptura recensetur; quia ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sanctum, quia dura cervice, et incircumciso corde semper Spiritui Sancto restiterunt.

VI. Fateor tandem Tridentinos Patres ad Eucharistiam recipiendam voluisse, ut Confessio præmitteretur, et de aliis Sacramentis siluisse. At eorumdem silentium nihil Cabassutii causam adjuvat. Patres enim Tridentinæ Synodus non

omnes

omnes errores condemnare voluere, sed illos dumtaxat, qui cum Calviniana, et Lutherana hæresi copulabantur. Decreverunt igitur ea, quæ ad Eucharistiam spectabant, quia adversus Eucharistiam principaliora erant Hæreticorum deliramenta. Siluere vero de dispositionibus ad Confirmationem recipiendam requisitis, quia de hisce dispositionibus nulla erat tunc temporis cum Hæreticis Controversia. Sed Tridentinum Canonem fuse alio in loco pertractabimus.

IN SS. EUCHARISTIÆ SACRAMEMTUM.

Disquisitio Prima.

Sacrificium a Catholicis definitur: Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem supremi ejus Dominii a legitimo Ministro res aliqua sensibilis, et permanens ritu Mystico consecratur, et mutatur: *Kemnitius autem hanc definitionem veluti papisticum commentum traducit. Deus enim, inquit, in spiritu, et veritate adorandus est, uti* Joan. Cap. 4. *legitur. In Sacerdotio, subdit, novæ Legis, nonnisi spirituales Hostiæ offerri decet, prout habetur Petri* 1. Cap. 2. *Si igitur Deus adorandus est in spiritu, et spiritualibus Hostiis, repugnat oblatio externa, et sensibilis. Si in veritate; Ergo non ritu mystico. Sejus quapropter Kemnitio aliquando adhæsit.*

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur 1. Vera catholica cathechesis. 2. An Sejus sit absolvendus?

RESOLUTIO.

I. CUm Dominus noster, et Salvator omnium Christus Jesus positus sit in Signum, cui contradicetur, juxta Simeonis Prophetiam; nemo sane mirari poterit, si inferni portæ, et filii tenebrarum omnis versutiæ, furorisque sui nervos intenderint, ut adversus sanctissimum hunc lapidem, qui factus est in Caput Anguli, novi semper contradictionis lapides enascerentur, et novæ adversus ipsum starent obduratæ cervices, et incircumcisa corda, quæ semper Spiritui Sancto resisterent. Dum in forma Servi inter homines vixit, veluti dæmoniacus, perduellis, seductor, blasphæmus habitus fuit. Post mortem sub Eucharistico velamine inter homines manentem perpetuis contradictionibus insultarunt hæretici, nostrisque luctuosissimis temporibus insultant e Calviniano, et Lutherano cæno Protestantes, et Pseudo Philosophi, qui omnium scientiarum argumentis undique agglomeratis, adversus Eucharistiæ veritatem veluti classicum cecinisse videntur. Num decet Sanctuarii Ministros in tanto sæcularium eruditionum strepitu ignaviter silere, atque abdormiscere? Nequaquam equidem. Consulto idcirco hisce Disquisitionibus Jesum nostrum in Sacrificio Eucharisti-

risti-

Digitized by Google

ristico ab impiorum contradictionibus vindicabimus, et Conscientiarum errores expendemus.

II. Martinus Kemnitius Discipulus Melantonis Lutheranus Brandeburgensis theologicis, et Mathematicis elucubrationibus famosus, sæculo decimo sexto Librum edidit, cui titulus: *Concilii Tridentini examen*. In hoc opere Tridentinos Patres undique vexat, et Eucharisticum Sacrificium omnium argumentorum genere subvertere conatur. Sacrificii definitionem a Catholicis statutam veluti papisticum commentum aggreditur hisce præsertim argumentis. Christus Dominus, inquit, ita Samaritanam Mulierem locutus est. *Venit hora, et nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate*. Hoc Christi dogma D. Petrus inculcavit in *Epistola* 1. inquiens: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini Domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias*. Itaque juxta Christi Præceptum hæc necessario consequuntur.

III. Ibi est vera Christi Ecclesia, ubi sunt veri Adoratores. Sed veri Adoratores offerunt spirituales hostias in spiritu, et veritate; Ergo in vera Christi Ecclesia offerre non licet, nisi hostias spirituales in veritate, et spiritu. Atqui in Ecclesia Romana hostiæ spirituales non offeruntur: Ergo in ea Ecclesia non sunt veri Adoratores, nec Deus adoratur in spiritu, et veritate. In Missa panis, et vinum consecrantur, atque deinde offeruntur. Atqui panis, et vinum quamvis consecrata, sunt res sensibiles; ergo sunt hostiæ sensi-

Digitized by Google

sensibiles. Quod est sensibile non est spirituale; Ergo in Missa non offeruntur spirituales Hostiæ. In Missa denique innumeri ritus, et cæremoniæ adhibentur, quas mysticas appellant, arcana nempe, quæ vera non sunt, nisi diversa significatione intelligantur: Opponuntur idcirco veritati, in qua voluit Christus, ut veri Adoratores sacrificarent. Romani itaque Theologi, concludit Kemnitius, aut Sacrificiis suis valedicant, aut Christi mandatis abrenuncient. Hæc sunt, quæ Lutherani, et nostrorum temporum Libertini objiciunt, quæque opponere puderet, si Scripturas vel a limine salutassent.

IV. Juxta Critices regulas, ut germanus alicujus Testimonii sensus obtineatur, necesse est, ut accurate perpendatur, atque intelligatur scopus, seu finis, ad quem Scriptoris verba diriguntur. Hinc *Joan. Cap.* 4. dum Jesus noster Mulierem Samaritanam alloquebatur, scopus, ad quem Christi verba tendebant, fuit, ut schisma tolleret, quod diu inter Judæos, et Samaritanos excruduerat. In monte enim Garizim Abraham, Isaac, Jacob, cæterique Patriarchæ holocausta obtulerant, ibique inhabitantes Samaritani Sacrificia offerebant. Iudæi vero ex adverso contendebant in solo Ierosolymitano Templo victimas immolari posse. Hinc mutuis anathematibus Judæi, et Samaritani sese dilaniabant, et nunquam Judæi cum Samaritanis conveniebant. Hujusmodi dissidium Iesu nostro opposuit Samaritana mulier inquiens: *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ*

sum Mulier Samaritana? . . . . Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem . . . . . Venit hora, et nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Hac itaque responsione nihil aliud Christus demonstravit, nisi Samaritanos, et Judæos carnalibus superstitionibus nimis abreptos de loco, ubi sacrificia offerebantur, turpiter ludificari. Si Deus est spiritus; nullo itaque loco ad instar corporum limitatur, atque circumscribitur. Ubique igitur adorandus, exorandus, et Sacrificiis colendus. Adversus hanc doctrinam, nempe, adversus spiritualem, atque immensam Dei naturam Samaritani, et Iudæi enormiter peccabant. Peccabant Samaritani, quia contendentes in uno monte *Garizim* Deo esse immolandum, nimis arctos limites divino cultui opponebant; perinde ac si Deus in solo *Garizìm*, non autem ubique habitaret. Peccabant Judæi, quia volentes ut Jerosolymis dumtaxat foret locus orationis, spiritualem, infinitamque Dei naturam deprimebant, perinde ac si Deus solummodo Jerosolymis præsens foret, nec orationes auscultare, aut exaudire posset, quæ in dissitis locis funderentur. En errorem, quem Christus convellere voluit. Veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. *In spiritu*, nempe, absque ulla loci determinatione, quia Spiritus loco circumscribi nequit.

In

Digitized by Google

In veritate, quia antiquanda erant ea omnia, quæ in figura contigebant populo illo carnali, ut loquitur D. Paulus *Ep.* 1. ad *Corinthios Cap.* 10. sublatisque figuris, et scisso veteris Templi velo veritas Evangelii veluti Civitas supra montem posita, et lucerna supra candelabrum universum Orbem irradiaret.

V. Pudeat igitur Kemnitium desperatam Lutheranorum causam hisce calumniis defensare. Scripturæ enim verba interpretanda sunt, non in pravum sensum detorquenda. Christus Dominus vult, ut Deus in spiritu, et veritate adoretur; at nunquam, ne somniavit quidem, prohibere voluit, ut sensibiles cæremoniæ, ritus, oblationes, et hostiæ tollerentur. Nonne etiam ipsemet sensibilem panem, et vinum sensibile in ultima cæna accepit, fregit, consecravit, distribuitque Discipulis suis, jussitque, ut idem in sui commemorationem facerent? Voluit itaque, ut Discipuli quoque sensibilibus hisce rebus uterentur. Nonne in Ara Crucis sese hominem verum, et corporeum Patri in sacrificium obtulit? Nonne verum Sanguinem physice sensibilem profudit, ut omnes salvi fierent? Voluit ergo, ut et nos in sui commemorationem physicis, et corporeis rebus, et oblationibus tantum Sacrificium imitaremur. Imitaremur equidem in spiritu, et veritate, nempe, ita ut non corticem rerum sensibilium dumtaxat aspiceremus, sed quæ sub sensibilium rerum signis continentur; *Spiritu*, seu mente, et corde complecteremur, neque efficeremur similes Populo

lo illo carnali, qui labiis Deum honorabat, cor autem eorum longe a Deo erat.

VI. Si igitur in spiritu, et veritate Deus adorandus est eo sensu, quem Theologus Brandeburgensis contendit, nempe, exclusis externis, sensibilibusque oblationibus, Christus Christo contradicit; qui et in ultima Cæna, et in Calvario sese hostiam vere corpoream obtulit, præcepitque, ut eodem modo facerent Apostoli, ut ita sui memoria servaretur. Num Christus adversus Christum pugnat? En Syrtes irremeabiles, in quibus Transalpini hujusmodi Apollines obvolvuntur.

VII. At inquit Kemnitius. D: Petrus *Ep.* 1. docet, in Sacerdotio novæ Legis spirituales hostias offerendas esse; ita enim scribit. *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini Domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias*. Nonne itaque oblationes externæ, et sensibiles prohibendæ? Respondeo: D. Petrus non modo vult, ut spirituales offerantur hostiæ, verum quoque, ut simus lapides vivi, et Domus spiritualis. Hinc rogo Kemnitium, ut doceat, quo sensu D. Petrus sit intelligendus, num literali sensu, num mystico? Si literali, doceat quoque Kemnitius, quo fieri possit, ut nos simus lapides, et lapides vivi? Si Domus literali sensu spiritualis, doceat quo evenire queat, ut Domus, Templum, Civitas ex una spirituali substantia fabricetur, ut ita Domus vere spiritualis dicatur? Nonne videt turpes, absurdasque contradictiones, in quas Lutherani prolabuntur, si litera, quæ occidit, nimis adhe-

Digitized by Google

adhærere placet. Metaphorice itaque, seu mystice necessario D. Petrus est intelligendus. Et en ritus mystici necessitatem.

VIII. Lapides vivi esse debemus, Domus nostra spiritualis, et spirituales Hostiæ, nempe, Fide, spe, et Charitate. Nam Justus ex Fide vivit, Spes non confundit, Charitas vivificat. Hæc est perpetua Scripturæ phrasis, qua scriptum est: Spiritualis homo judicat omnia: Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (*Bibebant autem de spiritali, consequente eos Petra, Petra autem erat Christus*). Et sexcenta id generis alia, quæ mystico sensu velint, nolintque, intelligant oportet.

IX. Verum itaque; atque acceptabile Sacrificium Catholici offerunt, dum Oblationem externam soli Deo faciunt, qua in recognitionem supremi ejus dominii a legitimo Ministro res aliqua sensibilis, et permanens ritu mystico consecratur, et mutatur. Sensibilis itaque hostia esse debet, quia homines sensibiles sumus, et quia Christus rebus sensibilibus usus est, præcepitque, ut in sui commemorationem sensibilibus rebus uteremur. Spirituales quoque sunt Catholicorum Hostiæ, et mystico ritu offeruntur, quia Catholici ultra rerum sensibilium speciem, et supra literalem significationem meliora charismata emulantur, spiritu vivunt, Fide, Spe, et Charitate aguntur, et supra literam, quæ occidit, sese extollentes, Magnalia Dei in suis Ritibus, et Cæremoniis contemplantur. Hæc sunt catholica Dogmata, quibus con-

Digitized by Google

contradicens Kemnitius merito veluti formalis hæreticus condemnatur.

X. Et sane in Concilio Tridentino *Sess. 22. Can. I. et VII.* definitur: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: Anathema sit. Si quis dixerit Cæremonias, Vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, quam officia pietatis; anathema sit.* Atqui Kemnitius traducens papisticum commentum oblationes externas, et ritum mysticum, negat Catholicum Missæ Sacrificium, cæremonias, et Ritus. Sit igitur Anathema.

XI. Quid ergo de Sejo, qui Kemnitio adhæsit? Inquio. Anathema et ipse. Nunc vero pænitet, et sacramentalem deprecatur absolutionem? Ajo: Si Sejus Kemnitio adhæsit sola mente, quin perversam ejus adhæsionem ullo signo manifestaverit; a quocumque Confessario absolvi potest, dummodo tamen Kemnitium statuto tempore denuntiaverit. At si sui cordis prævaricationem aliquo modo significaverit, in excommunicationem illico illapsus est SummoPontifici reservatam: Proinde absolvi nequit, nisi a sacra Pœnitentiaria facultatem obtinuerit.

Disquisitio Secunda.

Eumdem Kemnitium, qui supra, quique non modo voce, verum quoque nonnullis Liberculis transalpi.

Digitized by Google

salpina editione vulgatis, errorem suum effudit undequaque, tutavitque; Morti tandem nunc proximum tanti mali pœnitet.

Quæritur: Quomodo se gerere debeat Confessarius?

RESOLUTIO.

I. CUm in mortis articulo nullo Baptizato petenti deneganda sit sacramentalis absolutio, hæcque a quocumque Sacerdote conferri valeat; ideo dicimus Kemnitium, qui Morti proximus est, insimulque catholicam expostulat pacem, a quocumque non modo approbato Confessario, verum quoque a simplici Sacerdote esse absolvendum.

II. Verumtamen Sacerdos antequam absolutionem impertiatur, si temporis angustiæ permittant, imperare debet: Primo: Ut Kemnitius Testes ante suum lectulum vocet numero, et auctoritate, quo fieri potest, majores: Et coram iisdem exponat errores suos, ipsosque solemniter abjuret, et transalpinos Liberculos, quos vulgavit, condemnet, et execretur. Roget interim eosdem Testes, ut publicam faciant abjurationem hanc suam, et palinodiam; Omniaque hæc per publici Notarii manum confirmet, et publica authoritate muniat. Kemnitius enim fuit hæreticus notorius, et publicus peccator; proinde pubiica conversione debet illata spiritualia damna, et scandala, quantum in iis angustiis potest, exterminare. Publice quapropter pec-

peccantes, publice corrigendos esse, et puniendos recta ratio dictat, justitiaque exposcit. Secundo: Tenetur polliceri, et pollicitationem jurejurando confirmare, sese, si convaluerit quamprimum Supremæ Inquisitioni præsentaturum vel personaliter, vel per literas, Complices revelaturum, et executurum ea omnia, quæ a Suprema Inquisitione præcipientur, ut Ecclesiæ adamussim satisfaciat. Hisce peractis, absolvatur.

Disquisitio Tertia.

Sylvius Capellanus perlegens ea Pauli verba: Una enim oblatione Christus consumavit in sempiternum Sanctificatos .... sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel ... semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; ad Heb. Cap. 10. *Et nesciens cum iisdem tot, tantorumque Sacrificia Missarum componere, consulit Sergium Parochum, qui, ut nodum solvat, respondet: Sacrificium Crucis fuisse verum, ac proprium, et proinde semel oblatum: Missam vero esse Sacrificium commemorativum, et ideo sæpissime iterandum juxta Christi Mandatum*: Facite in meam commemorationem.

Quæritur 1. *Quinam fuerit Sacerdotis Christi typus in Veteri Testamento?* 2. *An Sylvius tuta conscientia suo Parocho valeat adhærere?*

RESOLUTIO.

I. CAtholicæ Religionis Dogmata arcto adeo nexu inter sese vinciuntur, eorumque testimonia

monia adeo credibilia facta sunt nimis, ut ne unum quidem in suspicionem vertere queas, quin cætera quoque omnia exterminare cogaris. Hinc illa Romanæ Ecclesiæ Unitas, hinc admiranda ejus stabilitas, adversus quam Portæ inferi nunquam prævalebunt, et ferociores Hæreticorum conatus factæ sunt sagittæ parvulorum. Ex adverso quodlibet alterius Religionis Systema semper sibi inconstans ex millenis variationibus in millenas, et millenas alias perenni vortice abreptum, horridam præsefert imaginem Regni, quod Satanas fundavit: *Regnum*, inquam, in *se divisum*, *quod desolabitur*. Manifestum hujus discriminis exemplum Casus iste, et sequentes præseferunt. Verum reale Corporis, et Sanguinis Domini Sacrificium in remissionem peccatorum a primis incunabulis Ecclesia Catholica semper venerata est. Ejus doctrina semper una, una semper Fides, Dogmata semper eadem. Lutheranorum Secta propitiatorium Sacrificium negare volens, quot, quantisque errorum ventis circumferatur oportuit, oportetque? Mystica sane Babelis Turris, Linguarum confusio, Civitas diaboli, et abominationis idolum erectum in loco sancto.

II. Veniamus ad primum Quæsitum. Sancti omnes Patriarchæ Veteris Testamenti, licet sub diverso respectu figurabant Christum, dicente Apostolo: *Omnia in figura contigebant ipsis*: *Omnes bibebant de spiritali*, *consequente eos Petra*, *Petra autem erat Christus*: Quibus verbis ostendit omnia, quæ antiquis Patriarchis, et Hebræorum Sina-

Digitized by Google

Sinagogæ acciderant, veluti figuras, et Imagines Christum venturum annunciasse; signanter vero figuram hanc in Melchisedecho delineatam fuisse ipsemet docet Apostolus. Enim vero vocat ipsum sine Patre, sine Matre, et sine genealogia, quia in Scripturis neque ejus Patris, neque Matris, et Generis mentio ulla reperitur: Sic de Christo Jesu scriptum est: *Generationem ejus quis enarrabit?* Scribit pariter idem Apostolus Melchisedechum neque initium dierum, neque finem habere. Et reapse si historiam sacram observemus, legimus Adam cum tot esset annorum genuisse Seth, et postea cum tot annos vixisset, mortuum fuisse. Sic etiam de Seth, Enos, et reliquis scribitur, natos, ac denique post tot annos obiisse. Melchisedechi vero et Nativitas, et Mors silentio præteritur. Quare secundum historiam nec initium dierum habet, nec finem vitæ. Christus quoque secundum Divinitatem revera nec cœpit esse, neque finem est habiturus; unde de ipso scriptum est. *Ego sum primus, et novissimus, et vivus, et mortuus fui. Et ecce sum vivus in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis, et inferni*. De Melchisedecho tandem fatetur Apostolus: Grandis est sermo, et ininterpretabilis ad dicendum. En quoque Christi figura, de quo sub nebularum densissimo velo *Multifarie, multisque modis locuti sunt Prophetæ, qui est Dei sapientia in Mysterio, quæ abscondita est . . . quam nemo Principum hujus sæculi cognovit*.

III. Sin-

III. Singularem vero figuram Melchisedech, quam cæteri Patriarchæ non habent, consistere in repræsentatione Sacrificii Eucharistici colligimus ex illo Fidei Dogmate, quod Christus Dominus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hinc singularis iste character in Melchisedecho non deducitur, quod ipsius Pater, Mater, et Genealogia silentio in Scripturis prætermittatur; quia Job quoque, et Elias Sacerdotes fuerunt, ipsorumque Parentes, et genealogiæ æque ac in Melchisedecho in Scripturis penitus reticentur. Nequidem character iste potest collocari in eo, quod Melchisedech Populo benedixerit, decimasque receperit; etenim hoc commune fuit cum Sacerdotibus Ordinis Levitici, qui benedicebant, decimasque recipiebant. Igitur singulare, et unius Melchisedechi proprium, quo ipsius Sacerdotium cum Christi congruit Sacerdotio, est, obtulisse panem, et vinum; quam oblationem nemo antiquorum Sacerdotum fecisse scimus, et qua oblatione Eucharisticum Sacrificium accurate præfiguratur.

VI. Nunc ut ad nostras Missas, a quibus ob assignandum verum Sacerdotis Christi typum recessimus, redeamus oportet. Ut igitur innumera prætermittam, quæ Missarum nostrarum Sacrificia propitiatoria ostendunt, nullumque effugiendi locum Lutheranis relinquunt, ad Malachiæ Prophetiam eos lacesso, quam ipsi depravare hactenus nequivere. Quapropter Malachias *Cap.* 1. hæc prædixit. *Non est, ait Dominus, Voluntas in vobis*,

Digitized by Google

bis, et munus non suscipiam de manu vestra. A solis enim ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda ... Sedebit, subdit *Cap. 3.*, *conflans, et emundans argentum, et purgabit Filios Levi, et erunt Domino offerentes Sacrificia in justitia*. Apertissima sunt hæc Malachiæ Oracula, et explicatione non indigent. Munus non suscipiam de manu vestra. Igitur Sacerdotium veteris Legis abrogandum. A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus. En Gentilium vocatio, et electio, ubi nomen Domini invocetur. In omni loco sacrificatur nomini meo. En Sacrificium novum, et Sacrificiorum multitudo, quæ in omni loco celebranda erunt. In omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Oblatio munda? Ergo non humana, non Angelica: Non humana, quia nemo mundus a sorde, nec infans unius diei: Non Angelica, quia Deus in Angelis quoque suis reperit pravitatem. Oblatio munda? Ergo Sacrificium Eucharisticum. Oblatio nempe Domini nostri Jesu Christi, qui solus est hostia munda, et Deo beneplacens. Hostia hæc mundabit argentum, et purgabit Filios Levi, nempe, Populos, et Sacerdotes, qui sunt Filii Levi. En remissio peccatorum, et Sacrificia propitiatoria, quæ in omni loco, omnique tempore sunt celebranda.

V. Quid ad hæc Lutherani? Hujus Oraculi tantus est evidentiæ fulgor, ut, quantum scio, ne verbum quidem unum adversus ipsum opponere

Digitized by Google

nere hactenus ausi fuerint. Ad cavillationes idcirco, nodum in scirpo quærentes, confugiunt. Inquiunt enim: *Christus una oblatione consumavit sanctificatos .... Semel oblatus est ad exhauriendа peccata*. Si semel; ergo ipsius Sacrificium non repetendum. Si consumavit Sanctificatos, et peccata delevit; ergo injuria Crucis Sacrificio irrogatur ex Missarum multitudine; perinde ac si oblatio Christi satis non fuisset ad peccata delenda, et nostram sanctificationem confirmandam. Christianorum itaque Sacrificia nequeunt esse propitiatoria. Sed dumtaxat commemorativa juxta Christi præceptum. *Hoc facite in meam commemorationem*.

VI. Hujus argumentationis, si honeste, et bona fide nobiscum agere vellent, Lutheranos puderet vehementissime. D. enim Paulus in ea Epistola ne verbum quidem unum scripsit de Sacrificiis, quæ a Sacerdotibus novæ Legis offeruntur. Ejus scopus totus est, ut ostendat Evangelii excellentiam, atque veritatem infinite antecellere Legis Mosaycæ imbecillitatem, figuras, et umbras. Ad Hebræos itaque revincendos quatuor utitur argumentis.

Primum: Inquit: Lex Mosayca data est per Angelos, qui sunt Administratorii Spiritus. Evangelium autem per Filium, cui dixit ipsemet Deus. *Sede a dextris meis*. *Filius meus es tu*, *Ego hodie genui te*.

Secundum: Lex promulgata est a Moyse, qui vocatur Servus Dei. Evangelium vero a Christo

sto Jesu, de quo dixit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; *Et quem Pater ipse constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*.

Tertium. Sacerdotium Veteris Legis erat secundum ordinem Aaron. Evangelii autem Sacerdotium est secundum ordinem Melchisedech. Aaron in Abraham debuit a Melchisedecho benedici: Melchisedech vero nullius benedictione indiguit. Aaron in Abraham Decimas Melchisedecho persolvit. Melchisedech autem nemini.

Quartum: Christus longe antequam natus foret Angelis, et Hominibus prodesse cœpit; Unde dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi*; *Bibebant omnes de spiritali, consequente eos Petra, Petra autem erat Christus*. Hinc una Oblatione in Ara Crucis Angelos, et Homines sanctificavit. Cujus equidem efficaciæ ne umbram quidem in sanguine hircorum, et taurorum suspicari licet. En hujus Epistolæ Synopsis, in qua Apostolus ne somniavit quidem de Christianorum Missis mentionem facere.

VII. At inquiunt Lutherani: Christus semel oblatus est, et una Oblatione redemit nos, peccata omnia tulit, et omnium sanctificationem consumavit. Papisticum igitur est habere ista Sacrificia inutilia, et tanto Redemptori injuriosa.

VIII. Respondeo retorquendo argumentum. Christus oravit pro nobis, et exauditus est pro sua reverentia; ergo inutiles, atque injuriosæ sunt Orationes nostræ. Cur igitur scriptum est: *Orate, et*

Digitized by Google

te, et vigilate ne intretis in tentationem? Christus pro nobis lacrymatus est, jejunavit, Crucem tulit, saturatus doloribus, et obediens fuit usque ad mortem. Vetandæ igitur mortificationes nostræ. Cur igitur scriptum est: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram? Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis?* Stultus ergo Paulus, qui in fame, et siti, in frigore, et nuditate castigabat corpus suum, et in servitutem redigebat. Stulti Apostoli, et Apostolorum Discipuli, qui in melotis, in pellibus caprinis, in cavernis terræ afflicti, angustiati, miseros dies pro Christo vixere. Inutilia enim hæc omnia sunt, quinimo Jesu nostro injuriosa. Ipse enim una oblatione peccatis omnium satisfecit, et omnium sanctificationem perfecit, atque cumulatissime consumavit. En horribiles consecutionum blasphæmiæ, quæ ex Lutheranorum Systemate necessario emergunt. Christus equidem semel oblatus est, et per hanc suam oblationem quantum in se est, nempe, ut caussa principalis, et exemplaris lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. At nostram quoque exposcit cooperationem, scilicet, nos ut caussæ imitatrices, et secundariæ ad imitationem ipsius Oblationes, et Sacrificia pro peccatis nostris offerre debemus. Hinc scriptum est: *Si compatimur, et conglorificabimur.*

IX. Lutheranis hisce nodis undequaque disruptis: hæc Consectaria consequuntur. Primum. Apud Malachiam Dominus dixit: *A solis ortu usque ad occasum in omni loco sacrificatur nomini meo.*

Digitized by Google

meo. Vult ergo Dominus Sacrificiorum multitudinem. Secundum: Dixit quoque *in omni loco offertur Nomini meo Hostia munda*. Sed solus Christus est Hostia munda; ergo in nostris Missis offertur Christus Dominus. Tertium: *Hostia hæc, dicit Dominus, purgat, et mundat peccata populi, et peccata Filiorum Levi*; ergo in Missis nostris offertur verum, ac proprium Sacrificium, non solum Laudis, aut Commemorativum, verum quoque propitiatorium, prout definivit Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *Can.* 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit*. Et *Can.* 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit*. Denique Missarum multitudo optime componitur cum Sacrificio Crucis, et cum D. Pauli doctrina, quia Christus nostram quoque cooperationem exposcit. Quare caveat Sylvius, ne suo Parocho adhæreat: et Parochus discat, atque expaveat Tridentina anathemata, palinodiam canat, et conscientiæ suæ cito consulat.

Disqui-

Digitized by Google

Disquisitio Quarta.

Suavis Polanus asserit Patres Concilii Tridentini Spiritu Sancto afflatos haud fuisse his rationibus, nempe; Sess. 23. Cap. 1. *fatentur*, eam rationem, *scilicet*, conservationem panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi verbis vix exprimi posse. *At impotentia hæc, et exprimendi difficultas nimis Spiritum Sanctum dedecet. Deinde iidem Patres sibi contradicunt, dum rationem hanc, quam inexprimibilem dixere, scribunt postea* Cap. 4. proprie, et convenienter appellari Transubstantiationem.

Quæritur: Quomodo est iste revincendus?

RESOLUTIO.

I. NOn unus Suavis, sed increduli pene omnes adversus Ecclesiæ Oracula similia sophismata objecere. Miserrimum equidem hujus sæculi fati genus! Nequeuntes hisce nostris temporibus amplius Religionis Dogmata solidis argumentis impii homines impetere, ad nugas confugiunt: Testimonia Dei credibilia facta nimis conspicientes, calumnias architectant, et odio lucem habentes, tenebris eam undequaque offundere conantur.

II. Hinc dedecet, inquit Suavis, dedecet Spiritum Sanctum nescire rationem exprimere, qua

panis, et vinum in Corpus, et Sanguinem Christi convertitur. Si Tridentini Patres sese Spiritu Sancto afflatos profitentur, qua fronte scribunt, rationem hanc verbis exprimi non posse? Num deest Spiritui Sancto facundia, qua mirabilis hæc conversio clare, nitideque exprimatur? Addendum, quod hanc eamdem rationem, quam inexprimibilem *Cap. I.* confessi sunt, exprimibilem deinde *Cap.* 4. dicunt, scribentes, eamdem proprie, ac convenienter *Transubstantiationem* appellari. Cum itaque nulla res sit Spiritui Sancto inexprimibilis, et cum nequeat Divinus Spiritus sibi contradicere, conclusit Suavis, Tridentinos Patres nequaquam ab eodem Spiritu afflatos fuisse.

III. Ut igitur puerilis hujus difficultatis ineptias patefaciam, rogo Patrem Suavem, ut ingenue fateatur, utrum credat D. Paulum Spiritu Sancto afflante Epistolas suas scripsisse? Nisi cum Deistis sentiat, atque revelationem omnem de medio tollat, concedat oportet D. Pauli Epistolas totidem esse Numinis Oracula. At si ita est, enodet mihi Pater Suavis, cur Paulus sexcenties, et præsertim ad Corinthios, scripserit sese insipientem esse, in insipientia fuisse locutum? Cur deprecatur Corinthios, ut sustineant modicum quid insipientiam suam, eumque supportent? Cur denique enarrans mirandum sui Raptum usque ad tertium Cœlum, scripsit, sive in corpore, sive extra Corpus nescio? Si Suavis difficultas quid valeret, certe concludendum foret, quomodo Tridentinos Patres, ita quoque D. Paulum, inspiratione Divini Paracliti caruis-

Digitized by Google

caruisse, et æque utrosque fanatismo insimulandos. Quomodo enim Patres Tridentini dixerunt verbis aptis sese exprimere non posse Eucharisticum Dogma; ita quoque Paulus iterum, iterumque insipientiam, et ignorantiam suam confessus est, dum Spiritus Sancti charismata enarrabat. Non modo itaque Suavis Patres Tridentinos adgreditur, sed ipsum D. Paulum, cæterosque Canonicos Scriptores, in quibus frequenter reperiuntur hujuscemodi scribendi formulæ, quibus divina Mysteria verbis exprimi non posse, fatentur.

IV. At, inquit Suavis, nimis dedecet Spiritum Sanctum hæc loquendi difficultas, qua Eucharisticum Mysterium exprimere nequeat. Sed respondeo: Hæc loquendi difficultas non Spiritui Sancto tribuenda est, sed hominibus, quibus Spiritus Sanctus veluti instrumentis utitur, ut cœlestia Mysteria patefaciat. Homines in hac terra viventes, qui res divinas intueri, et intelligere nequeunt, nisi per speculum, in specie, et in enigmate: Nequeunt idcirco facie ad faciem Dei opera contemplari; Scriptum est enim: *Deus habitat lucem inaccessibilem*. Inaccessibilem inquam; Sed cui? Num Spiritui Sancto? Nequaquam equidem, sed hominibus, quibus dictum est: *Deum nemo vidit unquam*: *Non videbit me homo, et vivet*.

V. Impossibilitas itaque, et difficultas, qua Patres Tridentini Eucharisticum Mysterium sese exprimere non posse fatentur, non Spiritui Sancto tribui debet, sed Hominum viatorum Naturæ. Hinc D. Paulus, qui certe Spiritu Sancto

affian-

afflante docebat, scripsit: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, et Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*. Incomprehensibilia equidem non Spiritui Sancto, qui in Paulo loquebatur, sed ipsimet Paulo, cæterisque omnibus in terra viventibus, qui propterea captivare debent intellectum suum in obsequium Christi, et deprecari Patrem luminum clamantes: *Illumina oculos meos: Illumina tenebras meas*. Hinc omnis contradictio evanescit inter Caput primum, et Caput quartum Sessionis vigesimæ tertiæ, quam tanti facit, jactatque Suavis.

VI. Divina Mysteria nec oculus vidit, nec auris audivit, neque cor, et intellectus humanus penetrare possunt. Hinc humanis vocibus explicari nequeunt. Sunt igitur respectu sui inexprimibilia. At exprimi possunt respectu nostri, nempe quantum patitur humana imbecillitas, et loquendi inopia. Ita Dei naturam nemo mortalium adequate explicabit unquam. At convenienter, quia meliori modo definire non possumus, Moyses Deum descripsit: *Qui est*. Joannes *Alpha, et Omega*. Ecclesia: *Creator Cæli, et Terræ*. Ita quoque, ut innumera prætermittamus, Divini Verbi, æternique Filii originem nemo unquam declaravit. Scriptum est enim: *Generationem ejus quis enarrabit?* Attamen Joannes aptissime eam explicavit scribens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*.

VII. Moysem, et Joannem imitati sunt Tridentini Patres. Mysterium Eucharisticum, nempe,

pe Conversionem panis, et vini in corpus, et Sanguinem Christi verbis exprimere non posse humiliter, et ingenue confessi sunt Patres Tridentini. Nam tanti Mysterii excellentia, et dignitas humanam rationem infinite supereminet. Attamen proprie, et convenienter Transubstantiationem appellarunt, quia perpensa humani eloquii inopia, et nostrarum idearum limitatione meliora vocabula reperiri non poterant. Ineptissime idcirco adversus Tridentinos Patres, scripsit Suavis, eosdem in Spiritum Sanctum fuisse injuriosos, et sibimetipsos contradixisse.

Disquisitio Quinta.

Christus Sacram instituens Eucharistiam gratias egit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, præcepitque, ut hoc facerent in suam commemorationem. Hinc contendit Gentilettus Missas, in quibus solus Sacerdos se communicat, illicitas esse, utpote Christi mandato, necnon primorum Sæculorum Traditioni, prout est definitum in Concilio Antiocheno Cap. Peracta, *adversantes. Ex adverso Canus eas tuetur, volens Eucharistiæ distributionem non ad substantiam, sed ad cæremoniam pertinere. At urget Gentilettus inquiens: Quæ Christus jussit, non posse absque hæresis crimine cæremonias appellari.*

Quæritur: Utriusque opinionis examen, et censura?

RESO-

RESOLUTIO.

I. GEntilettus, cujus opinionem de Sacrosancto Eucharistiæ Sacrificio in hac Disquisitione examinandam exhibuimus, est decimisexti sæculi celeberrimus Author, cujus nomen de more consulto usurpavimus, ut quilibet in ipsius libro totius Systematis indolem, genium, et structuram legere, atque pensitare facillime posset.

II. Hic famosus utriusque juris Peritus ex Protestantium Secta natus Viennæ in Delfinatu librum edidit, cui Titulus: *Tribunal adversus Concilium Tridentinum*: Opus sane eruditionum copia, atque delectu Reipublicæ Literariæ acceptissimum: ast erroribus, audacia, sarchasmis, atque calumniis undequaque fœdatum. Gentiletti scopus in hoc Libro totus est, ut Missas, quas privatas vocat, exterminet. Ipsius Argumenta ad hæc capita revocantur.

III. Primo: Eucharistici Sacrificii figura fuit Agnus Paschalis, de quo Exodi *Cap.* 12. præcipitur, ut decima die Mensis tollat unusquisque agnus, eoque, vocatis quoque vicinis, si opus fuerit, cum tota familia vescatur. Figura cum figurato congruere debet: Agnus Paschalis ab omnibus divino Præcepto comedendus erat: Ergo omnes adstantes eodem præcepto Sacrificium Eucharisticum debent percipere. In Missis privatis unus communicat Sacerdos: Missæ itaque privatæ divinam Institutionem lædunt, Dei præceptum tran-

Digitized by Google

transgrediuntur, similitudinem figuram inter et figuratum sacrilege temerant, a Deo proinde non sunt, sed a diabolo.

IV. Secundo: Ut hanc similitudinem figuram inter, et figuratum Christus Dominus sarctam tectam servaret, Eucharistiam instituens, gratias egit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis præcipiens. *Hoc facite in meam commemorationem*. Hoc facite imperavit Christus, nempe, ea omnia, quæ ego feci: Atqui Christus non modo panem benedixit, seu consecravit; verum quoque fregit, deditque omnibus, qui aderant Discipulis suis; ergo quilibet quoque Sacerdos in qualibet Missa, Christo imperante, debet sanctum panem frangere, et Adstantibus elargiri. Papistarum itaque Missæ, in quibus unus communicat Sacerdos, gravissimo, et apertissimo Christi præcepto adversantur.

V. Tertio: Uniformis priorum sæculorum traditio, ut nitide constat ex Epistola 1. D. Pauli ad Corinthios, ex Conciliorum Decretis, et præsertim Concilii Antiocheni, necnon ex innumeris SS. Patrum monumentis invicte demonstrat, nunquam Apostolos, eorumque Discipulos, et Successores, Episcopos, et Sacerdotes ausos fuisse, ut Eucharisticum Sacrificium offerrent, nisi convenientibus Fidelibus in unum ad Dominicam Cœnam manducandam. Tunc Missæ nomen inauditum, et Sacrificium Corporis, et Sanguinis Domini *Agape* vocabatur, nempe, commune convivium, et communis Cœna, in qua omnes discumbentes

bentes æque juxta Christi mandatum communicabantur. Hisce diffuse a Gentiletto pertractatis concludit: Papistarum Dogma est, nempe Divinis Traditionibus religiose esse adhærendum. Traditio priorum sæculorum, ab Apostolis religiose observata, et a Christo præcepta, docet nunquam licitum fuisse Eucharistiam offerre, quin omnes Adstantes communicarent; ergo Papistæ precipuum Traditionis dogma suis privatis Missis radicitus convellunt.

VI. Hanc totius hujus libri Synopsim, quam veluti de charta in papyrum transcripsi, ita refello. Primo loco illud mihi, velit, nolitque Gentilettus, dabit, quod est cujusque Philosophiæ, et Theologiæ Axioma, nempe: *Rerum essentias immutabiles esse*. Neque enim fieri potest, ut Trianguli essentia augeatur, aut minuatur, scilicet, ut plures, vel pauciores habeat, quam tres angulos, et tria latera. Hinc veluti Corollarium sua sponte fluit, scilicet. *Quæ variari nequeunt, essentialia sunt: Quæ vero variationibus subjiciuntur, inter accidentalia recensentur*.

VII. Hæc duo totam Gentiletti machinam confringunt. Si ad Eucharistici Sacrificii essentiam spectant ea omnia, quæ in Agno Paschali, veluti in figura præcipiebantur, ita sane erit Sacrificium Eucharisticum celebrandum; nempe Fideles habeant renes ipsorum præcinctos, calceamenta in pedibus, tenentes baculos in manibus, et edentes Corpus Christi festinanter, cum lactucis agrestibus. Hæc enim omnia a Deo præcipiebantur, dum

dum Agnus Paschalis immolandus erat. Atqui neque Christus, neque Apostoli hujusce ritus observavere, dum Eucharisticum Sacrificium celebrarunt; ergo quæ Deus præcepit circa Agnum Paschalem non ad essentiam Sacrificii Eucharistici pertinere possunt.

VIII. Ita quoque assero meras fuisse Cæremonias, quæ Jesus fecit in ultima Cœna. Jesus ante Eucharistiæ consecrationem lavit Discipulorum pedes, præcepitque dicens: *Exemplum dedi Vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*. Num pedum lotio ad essentiam Sacrificii spectat? Christus semel hoc Sacrificium confecit: Num semel a quolibet Sacerdote est consecrandum? Christus denique noctu, et paschali tempore celebravit, distribuitque Corpus, et Sanguinem suum duodecim dumtaxat Apostolis, quos Sacerdotes instituerat; noluit vero cæteris Discipulis. Si hæc omnia veluti hujus Sacrificii essentialia, et a Christo præcepta velit Gentilettus; ergo concedat oportet Eucharistiam nonnisi nocturno, et Paschali tempore consecrandam, et nonnisi duodecim, qui Sacerdotes sint, distribuendam. Istæ sunt absurdæ consecutiones, in quas illabatur necesse est, qui Cæremonias hujus Sacramenti ab ipsius essentia secernere nescit. Nec tempus itaque, neque locus, neque Communicantium numerus Eucharistiæ essentiam constituunt. Hæc integra manet, quamvis unus sit dumtaxat, nempe unus Sacerdos accipiat, et nullus alius communicet.

IX. Pejora sunt, quæ ex Traditione Genti-

Digitized by Google

lettus agglomerat. Nihil enim in historia Ecclesiastica certius, quam Apostolos, eorumque Successores sæpissime in stabulis, in Carceribus, in Navibus, ubi nemo fidelium reperiebatur, Eucharistiam consecrasse, et Eucharistiam obtulisse. Id testantur Dionisius Alexandrinus *lib.* 7. Metaphrastes in Vita S. Severini, et SS. Patres pene omnes. S. Athanasius pluribus annis in Cisterna delituit. Num nunquam celebravit? Eremitæ Superioris Ægypti, quorum plurimi Sacerdotes erant, quique solitariam vitam a Sociis, et ab aliis omnino sejunctam agebant, num toto eo tempore ab Eucharistico Sacrificio abstinebant? Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum, ut ex eorum Actis constat, a sese mutuo sejuncti sunt. Petrus Antiochiam, Thomas ad Orientales Indos, Andreas ad Scithos, Bartholomæus ad superiorem Armeniam Evangelium prædicaturi iter fecère. In Regiones omnium remotissimas quilibet solus perrexit. Iter plures exposcebat menses, quibus inter infideles quilibet Apostolus peragrare debebat, ut ad Provinciam perveniret, quæ sibi sorte obtigerat. Ibi Evangelium prædicandum, infideles convertendi, instruendi, baptizandi, ac denique Eucharistia reficiendi. Num tota, ac tam longa mensium intercapedine, quam sane exigebat locorum distantia, Ethnicorum instructio, et conversio, Bartholomeus, Thomas, Andreas, Petrus ab Eucharistia abstinuere, quia nemo tunc temporis communicare poterat?

X. Privata itaqua Sacrificia sæpissime obtulere

lere Apostoli, eorumque Successores, in quibus
nemo Eucharistiam percipiebat, nisi solus Sacer-
dos. Quare calumnia est putidissima Gentiletti
Assertum volentis privata Eucharistiæ Sacrificia
priorum Sæculorum praxi adversari. Fateor *Aga-*
pe, scilicet Communes Cœnas eo tempore cele-
brari solitas, sed hujusmodi *Agape* diebus dum-
taxat solemnioribus peragebantur: Cæteris vero
diebus quilibet Sacerdos privatim celebrabat. Me-
rito itaque Concilium Tridentinum. *Sess. 22. Can.*
8. Scripsit: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus*
Sacerdos communicat illicitas esse, ideoque abro-
gandas, anathema sit. En adversus Gentilettum
examen, et censura.

Disquisitio Sexta.

Forerus ad Tridentini mentem Missas, in qui-
bus solus Sacerdos communicat veneratur: At sæ-
pius expresse dixit, Tridentinos Patres deceptos
fuisse, dum ad eas Missas vindicandas scripserunt
Sess. 22. Cap. 1. Corpus, et Sanguinem suum
sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulisse
Christum.

Quæritur: 1. *Num hæreticus sit adjudican-*
dus? 2. *A quo est absolvendus?*

R E S O L U T I O.

I. FRanciscus Forerus Lusitanus ex inclito Præ-
dicatorum Ordine linguis latina, græca, et he-

Digitized by Google

braica eruditiſſimus, unus fuit ex tribus Theologis, quos Concilium Tridentinum elegit, atque conſtituit, ut Cathechiſmum conficerent, et Breviarium, et Miſſale emendarent. Plurium Operum Author fuit, inter quæ plurimi habetur Commentarium in Iſajam Prophetam. Cardinalis Pallavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini *lib.* 18. narrat acres Quæſtiones, et diuturna diſſidia inter Patres excitata fuiſſe *Seſſione* 22. Volebant quippe nonnulli Chriſtum Dominum in ultima Cœna verum, integrumque ſui Corporis, et Sanguinis Sacrificium obtuliſſe: Negabant alii, quos inter Franciſcus Forerus principem obtinebat locum. Per plures dies in utramque partem hæc quæſtio agitata fuit; ac tandem omnes in hanc ſententiam conſpirarunt, nempe: *Chriſtus Corpus, et Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, et vini Deo Patri obtulit*; quin tamen hanc ſententiam ad fidem pertinere declararetur.

II. Utrum igitur Chriſtus ſeſe in ultima Cœna in Sacrificium Patri obtulerit, non eſt Quæſtio Fidei; ac proinde Forerus negantem Opinionem defendens, neque inter Hæreticos habitus eſt, neque haberi poteſt.

III. Hanc Forerii vindiciam ſummo jure expoſcunt Catholicæ Theologiæ Regulæ. Prima eſt: Concilia Generalia in iis, quæ ad fidem, et mores ſpectant infallibilia ſunt: Ea vero ad fidem, moreſque pertinere dicuntur, quæ inter Canones recenſentur, et quibus anathematis conclamatio copulatur. Secunda eſt: Quæ in Conciliorum

Decre-

Digitized by Google

Decretis inducuntur, vel explicandi gratia, vel ut objectionibus respondeatur, vel etiam obiter, et præter institutum, ea ad fidem non pertinent. In iis Concilii Patres decipi possunt, et cuilibet licet, salva quæ debetur Patribus reverentia, oppositum defensare. Exemplis hujusmodi regulas illustremus.

IV. In Concilio Generali Septimo adversus Iconoclastas Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus nomine totius Concilii hunc Canonem scripsit: *Declarat S. Synodus Angelos juste, licite, et sancte coli, et adorari, nec non coloribus, et humana forma pingi posse, quia corporei sunt*. Duo in hoc Canone secerni debent, scilicet, Angelorum cultus, qui est fidei Dogma: Et Ratio hujus cultus, quia nempe Angeli corporei sunt; quæ non modo non est Dogma fidei, quinimmo hac in re Patres decepti fuere ex scholarum tunc temporis placitis, quæ Angelos corporeos esse statuebant.

V. In Concilio Lateranensi *Cap. Firmiter* ita scripsere Patres. *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus est Deus, qui simul initio temporis condidit Creaturam Angelicam, et Mundanam*. At Angelos non fuisse simul cum Mundo conditos asserunt Gregorius Nazianzenus, Basilius, Damascenus, Hieronymus, Augustinus, et D. Thomas; et nunc Theologi pene omnes. Hæc igitur assertio non est Dogma Fidei, et fortassis Lateranenses Patres decepti fuere.

VI. In Concilio Romano sub Nicolao adversus

sus errores Berengarii hanc fidei formulam Patres exhibuere: *Profitemur non solum Sacramentum, sed verum quoque Corpus Christi manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri*: at quod Corpus Christi vere frangatur, et dentibus in frustula atteratur, non modo ad fidem non spectat, quinimmo nimiam sapit novitatem, et plerique Theologi reprehendunt. Innumera id generis prætermitto, quæ referuntur a Melchiore *Cano lib.* 5. de Conciliorum Auctoritate. Stat igitur ea dumtaxat inter fidei dogmata numeranda esse, quæ Conciliorum Canones complectuntur. Atqui Canones Concilii Tridentini non complectuntur Christum in ultima Cœna seipsum in Sacrificium Patri obtulisse; ergo non est Dogma Fidei.

VII. Patres extra Dogmata Fidei decipi possunt, et aliquando decepti sunt: Forerus idcirco asserens hac in re Tridentinos Patres deceptos fuisse hæreticus non est, et nullius criminis reus; dummodo debitam Patribus reverentiam servet, et omnem scandali occasionem submoveat. Si enim Forerii assertio adversus tantos Patres contemptui, et Pusillis scandalo foret, graviter peccavisset: Attamen a quocumque Confessario præmissa emendatione, ac reparatione absolvi posset.

VIII. Itaque hocce in casu absolvatur Forerus, onere tamen injuncto, ut ab hujusmodi Assertis omnino abstineat, et palinodiam recitet, Fieri enim nunquam potest, ut id generis sententiæ Concilii Patribus contumeliosæ non sint, et

piis

Digitized by Google

piis auribus injurioſæ, præſertim cum doctrina aſſerens: *Chriſtum Dominum in ultima Cœna Patri ſeſe in Sacrificium obtuliſſe*; quamvis dogmatica non ſit, attamen omnium nunc Theologorum votis muniatur.

Diſquiſitio Septima.

Ruſſojum iterum, iterumque audierunt quamplures aſſerentem: Si Chriſtus eſt totus in qualibet Hoſtia, falſum eſt axioma, Totum eſt majus ſua parte: *Nam totus fuiſſet in una ſuimet manu in ultima cœna. Falſum quoque illud*: Duæ contradictoriæ propoſitiones nequeunt eſſe ſimul veræ. *Etenim verum foret, quod Chriſtus non movetur dum quieſcit in Pyxide; et verum quod ſimul movetur, dum Hoſtia elevatur.*

Quæritur: Quomodo revincendus? An denunciandus?

RESOLUTIO.

I. CAſus iſte, in quo ſub Ruſſoji Nomine Philoſophiam Libertinorum cum Religione pugnantem repræſentare videor, ſpecimen præſefert errorum, qui non modo in privatis cætibus ſerpunt, ſed in Aulis quoque, et in comptis, in foro, ipſiſque tabernis palam debacchantur. Hujuſmodi ſane eſt Antichriſticum noſtri ævi genium. Sæculis retroactis Theologos adverſus Theologos excitavit opinionum diſcordia de Scriptura,

de

de Traditione, de Gratia, de Sacramentis, aliisque Fidei Mysteriis undique invexit, et innumerabilium hæresum monstra conflavit. At ex Theologorum dissidiis nihil, aut parum sese proficere conspiciens ad novum, et difficilius præliandi genus lacessivit, fecitque, ut Philosophi adversus Theologos congrederentur, Ita sane factum est. Nunc non Arius, non Eutiches, non Nestorius, non Pelagius, aliique id generis hostes imaginarii debellandi sunt. Sed Bælii, Russojus, Volterius, et sexcenti id generis incredulitatis Vexilliferi sunt confutandi. At qua ratione id assequamur si philosophica hostium arma nobis ignota sint, et artes inauditæ? En itaque caussam, ob quam argumenta reffellenda exhibeo, quibus recentes Christi hostes nobis, et Religionis Mysteriis illudunt.

II. Joannes Jacobus Russojus adversus realem Christi Præsentiam in Eucharistia ita argumentatur. Si totus Christus est in hostia, totus quoque fuit in ultima cæna in una suimet manu. Atqui manus est pars, Christus est totum; ergo totum non fuisset sua parte majus. Rursus dum Hostia elevatur, Christus movetur, eodemque tempore idem Christus non movetur in Pyxide, ubi Hostiæ servantur: Atqui moveri, et non moveri, contradictorium est; ergo contradictorium est, Christum esse in Hostia. Sed Deus facere nequit contradictoria; quomodo nequit facere, ut pars sit major, et totum sua parte minus; ergo Deus non potest facere, quod Christus sit in Hostia.

III. Hoc

III. Hoc argumentum, cui libertinorum Turba nunquam satis plaudere videtur magnam præsefert speciem, si nudus arborum cortex attendatur. Perridiculam autem sui imbecillitatem illico manifestat, si ejus substantia examinetur. Hinc prætermissis physicis theoriis de spátio, et loco, quarum ignorantiam Russojus hoc in negotio putidissime ostendit, unum dumtaxat rogo, an Deus physicis corporum, et corporearum virium legibus ita dominetur, ut eas ad sui placitum permutare, suspendere, atque delere queat? Supremum hoc in res creatas Dei dominium illi soli in dubium revocare queunt, qui non ex ratione, sed ex Epicuri grege philosophari volunt. Potest igitur Deus, suspensis gravitatis legibus, facere, ut homines veluti aves sursum eleventur, et corpora, cohibitis ignis viribus, inter flammas innoxie versentur, quin ne calefiant quidem; potetest denique facere, ut homines sub aquis mergantur, quin suffocentur, nec madefiant. Hæc enim facta sunt in Elia, qui supra nubes raptus est; in tribus Pueris, qui Babylone in camino ignis injecti fuere; in Paulo, qui ter naufragium pertulit, tribusque diebus, et tribus noctibus in profundo maris fuit pro Christi nomine. Hujusmódi portenta nec contradictoria esse, nec divinam excedere potentiam dant libentissime cujuscumque sectæ Philosophi, ipsique Ethnici Scriptores Celsus, Porphyrius, et Julianus Apostata. Si igitur absque ulla contradictione Deus physicas rerum proprietates, viriumque leges cohibere po-

Digitized by Google

test, poterit quoque eas permutare, suspendere, quæ ad motum, ad locum, et spatium physice pertinere, atque inesse videntur.

IV. Ad motum spectat successiva loci mutatio; sicuti ad naturam ignis pertinet combustio; Ergo sicut Deus absque ulla contradictione fecit, ut tres Pueri in Babylonica fornace non comburerentur; ita quoque facere potest, ut corpora successive locum non mutent. Corpus igitur Christi, dum Eucharisticæ species elevantur, locum non mutat. Moventur equidem sacramentales species, sed Christi Corpus non movetur; eumdemque locum sive in Pixide sit, sive sursum evehatur, constantissime servat.

V. Ita quoque ad spatii indolem spectat, ut naturalia corpora penetret, atque circumvestiat, sicuti aquarum genium est, ut homines submersos suffocet. At sicuti Deus Paulum in profundo maris tribus diebus, tribusque noctibus ita tutatus est, ut aquæ ipsum non absorberent; ita quoque facit, ut Christi Corpus a spatio nec penetretur, nec circumscribatur. Hinc sublata spatii penetratione, atque circumscriptione, Christi Corpus neque totum, neque pars dici potest. Vocabula enim hæc, nempe *pars*, et *totum* illis dumtaxat rebus possunt aptari, quæ a spatio circumvestiuntur. Christi Corpus a spatio non circumvestitur; Ergo de ipso nonnisi inscite dici potest, quod totum fuit in una ipsius manu, aut quod totum in una ejus parte contineretur.

VI. Binis verbis totam confutationem complector

Digitized by Google

plector. Axioma *Totum est sua parte majus* locum habet iis in rebus, quæ a spatio pendent, Corpus Christi a spatio non pendet, ut supra demonstravi: Ergo Axioma illud, si logicæ stare velimus, Christo aptari nequit. Item moveri, et non moveri sunt duæ contradictiones, si de iis loquamur Corporibus, quæ a loco circumvestiuntur: Corpus Christi a loco non circumvestitur; Ergo nulla contradictio in Eucharistico Christi Corpore fingi potest.

VII. Brevis hæc Russoji Confutatio non modo ipsum, ejusque asseclas revincit; Verum quoque invicte demonstrat, hujusmodi aquilonares Apollines non modo in quamlibet Religionem blasphemos esse, sed etiam solidæ Philosophiæ imperitissimos. Denuntietur itaque, ne venenum tam mortiferum amplius serpere audeat.

Disquisitio Octava.

Apollonius Sacerdos, cujus stomachus jejunus a vino nimia nausea vexatur, dum celebrat æqualem vino aquæ portionem in Calice miscere solet, atque utramque purificationem sola aqua perficit. Theophilus ipsum graviter reprehendit, contenditque, ob essentialem materiæ defectum, invalida esse sacrificia ab Apollonio celebrata, et Missas repetendas, pro quibus stipendium accepit.

Quæritur: Quid sibi vere faciendum?

RE-

RESOLUTIO

I. APollonius Sacerdos gravissime peccat, dum æquaiem cum vino aquæ portionem in Calice miscet. Ejus tamen sacrificia valida sunt, ac proinde Missæ non sunt repetendæ, pro quibus stipendium accepit.

II. Ut utramque assertionem demonstrem, adverto ante sæculum nonum hac de re nihil a majoribus nostris institutum, et ministrorum arbitrio, atque prudentiæ relictum, ut quisque aquæ quantitatem in Calice cum vino misceret, dummodo tamen aquæ quantitas tanta non foret, ut vini sapor, et color omnino extingueretur. Cum enim ad sacramenti essentiam spectet, ut ejus materia sit sensibilis, recte consequitur, materiam tunc solum ineptam evadere, cum adeo exigua est, ut sub sensibus amplius cadere non possit. Hinc data quacumque aquæ quantitate in vino mixta, si vinum sensibile remaneat, servetque sensibus nostris qualitates suas, nempe saporem, odorem, coloremque, hujusmodi materia semper sensibilis adjudicanda est, et proinde apta, qua Sacramentum conficiatur.

III. Hæc fuit usque ad sæculum nonum totius Ecclesiæ disciplina. At cum eo tempore plures hac de re abusus in Germania irrepsissent, ad eos convellendos Concilium Triburense prope Maguntiam coactum est, statutumque, ut duæ saltem vini partes, et una circiter pars aquæ in Calice

Calice miscerentur. Subsequentibus sæculis aquæ portio semper imminuta est, adeout sæculo Decimo sexto Sanctissimus Pontifex Pius V. scripserit ad Episcopum Tarraconensem, unam dumtaxat aquæ guttam in Calice miscendam esse.

IV. Ab eo tempore in utramque Ecclesiam nempe Latinam, et Græcam ea consuetudo invecta est, atque approbata, ut aquæ portio in vinum injicienda modicissima sit.

V. Ex hac brevi hujus Casus historia hæc consequuntur. Primo: Gravissime Apollonius peccavit, ejusque Missæ omnes illicitæ fuere, in quibus æqualem cum vino aquæ portionem immiscuerit. Operatus enim est in re gravissima, cujusmodi sunt Sacramenta, adversus Ecclesiæ Præceptum, et consuetudinem. Secundo: Quamvis Missæ illicitæ fuerint, sunt tamen validæ; Sacramenta enim valida sunt, quæ sua forma in materia apta conficiuntur. Sed vinum ab Apollonio adhibitum, quamvis æquali aquæ portione permixtum est materia apta, cum sensibiles vini qualitates, nempe colorem, saporem, et odorem sensibus nostris exhibeat, ut supra demonstravi; Ergo ejus Sacrificia valida proculdubio fuere; ac proinde non sunt repetenda.

VI. Scio Theologos nonnullos, inter quos D. Thomas recensendus est, scripsisse: Vini Consecrationem illicitam esse, atque invalidam, si aquæ portio vini portionem superet, aut eidem æqualis sit. At habita, quæ hisce Auctoribus debetur reverentia, eorumdem sententiæ adhærere nequeo hisce inductus rationibus.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Prima: Doctores mihi oppositi paucissimi sunt. Secunda: falsæ suppositioni innituntur. Arbitrantur enim, vinum in aquam converti, si aquæ copia vini quantitatem superet, aut etiam si vino sit æqualis. Hæc mutua vini in aquam conversio a Physicis, et ab experientia irridetur, et naturaliter nunquam fieri potest, ut vinum in aquam convertatur. Revera sicuti miraculum fuit in nuptiis Cananeis, quod aqua vinum evaderet, ita quoque sine miraculo fieri non potest, ut Vinum in aquam transmutetur. Cum igitur vinum semper vinum permaneat, semper quoque materia apta erit, qua valide Sacramentum conficiatur, dummodo sensibus, ut supra monui, vini qualitates exhibeat. Denique a Concilio Triburense, a Summis Pontificibus Honorio III. et Pio V. reprehensi quidem graviter fuerunt illi, qui plus aquæ, quam vini in Calicem infundunt: At eorumdem Sacrificia nunquam invalida dixere; quod sane dixissent, si major aquæ copia vinum ineptum redderet, quo Sacramentum, et Sacrificium conficeretur. Hæc tamen ita dicta intelligantur, ut nihil detractum velim eorum Opinioni, quibus aliter sentire placet.

Disquisitio Nona.

Ioannes de Turre Cremata græcæ linguæ peritissimus cum Missæ adfuerit græci Sacerdotis, qui in quadam Ecclesia solet celebrare, ipsum audivit, post prolatas utrasque formas consecrationis panis, & vi-

Digitized by Google

& vini, hanc addidisse Orationem. Fac Domine panem quidem hunc honorabile Corpus Christi tui: Quod autem in Calice isto est, honorabilem Sanguinem Christi tui. *Quare ipsum veluti pessime sentientem de sacramentali forma, ejusque Missas illicitas accusat.*

Quæritur: An jure?

RESOLUTIO.

I. CAsus iste quæstionem exhibet in Concilio Florentino Græcos inter et Latinos exortam. Ad exoptatam Orientalis, et Occidentalis Ecclesiæ Unionem firmandam post decisas Controversias de Spiritu Sancto, de Purgatorio, et de Principatu Romanæ Sedis Eugenius IV. Summus Pontifex *Sess. 24. et 25.* Græcos interrogavit: *An de forma Consecrationis panis, & vini idem sentirent, quod Romana credit Ecclesia?* Responderunt Græci: *Idem sentimus omnes, idem credimus, eadem est nostra Fides*. Rursus interrogavit Pontifex: *Cur ergo in Missa post prolata Verba utriusque formæ, nempe, postquam dixistis: Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei; hanc additis Orationem: Fac Domine panem quidem hunc honorabile Corpus Christi tui: Quod autem in calice isto honorabilem Sanguinem Christi tui? Si Vinum jam Sanguis Christi factum est, cur oratis, ut fiat Corpus, et Sanguis, quæ jam facta sunt?* Responderunt Græci: *Cur Sacerdotes Latini post con-*

Digitized by Google

consecrationem dicunt: Iube Domine hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum in conspectu divinæ Majestatis tuæ? Si in Hostia jam est Christus verus Deus, quæ necessitas, ut Angelus eam deferat in Altare Dei, et in ejusdem Dei conspectu? Dixerunt Latini: Mystica hæc intelligenda esse. Tunc Græci responderunt; *Mystice quoque intelligatur oratio nostra: nempe: Cum dicat Apostolus: Vnum Corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus: Ita nos dicimus: Fac Domine panem hunc, nempe Fideles, qui sunt mysticus panis, fac ut incorporentur Corpori Sancto tuo, et Spiritu tuo vivificentur, quia nullus vivit Spiritu Christi, nisi sit in Corpore Christi*.

II. Hæc Græcorum responsio aliquibus Theologis Latinis non placuit, et præsertim Eminentissimo Ioanni a Turre Cremata, qui protestatus est, hanc Grecorum explicationem nimis suspectam esse. At induruere Græci, et authenticis monumentis demonstrarunt eam Orationem quocumque tempore fuisse in omnibus Orientis Ecclesiis recitatam, et a Beatis Basilio, et Chrysostomo receptam, atque commendatam. Hisce peractis Concilii Patres huic Quæstioni silentium imposuere, et Græci ad Catholicam Unionem fuerunt admissi.

III. In Concilio denique Tridentino, ut testantur in ejus historia Pallavicinus, et Salmeron *Tom. 9.* rursus hæc quæstio excruduit, et nonnulli ex Theologis instabant, ut explicaretur, et definiretur, quibus verbis usus sit Christus, dum hoc

Digitized by Google

hoc Sacramentum confecit. Repetito examine, et pensitatis rationibus, quæ in utramque partem afferebantur, Patres rem incertam declararunt, nihil definiendum, et Missæ Canonem intacte tam a Latinis, quam a Græcis retinendum.

IV. Plura hic juxta Theologicas Regulas observanda forent, quæ nunc prætermitto, suo loco commodius pertractanda. Quare nunc satis sit juxta recensita historiæ facta expositum Casum expedire. Licitæ igitur sunt Græci Sacerdotis Missæ, nec ipse da sacramentali forma pessime sentit. Missale enim Græcorum, eorumdemque Canonem, et orationes, quas peracta consecratione recitare solent, Florentina Synodus adprobavit, et Patres Tridentini nihil in adversum definiendum censuerunt. Fallitur itaque Ioannes a Turre Cremata:

Disquisitio Decima.

Omnis Ecclesiæ authoritas data est a Christo Domino in ædificationem, nulla in destructionem. Nequivit igitur Ecclesia, inquit Bælius, in Communione Eucharistica Fidelibus usum calicis interdicere, cum hujusmodi interdictio etiam ex Patribus Tridentini Concilii, quamvis nulla gratia necessaria ad salutem defraudet fideles; defraudat tamen gratia superabundanti.

Quæritur hujus difficultatis Solutio?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

I. QUamvis omnis Ecclesiæ authoritas data sit a Christo Jesu in ædificationem, nulla in destructionem; et quamvis fideles ab usu calicis abstinentes, superabundanti gratia priventur, quam certe assequerentur, si Christi Sanguinem sub specie vini sumerent: Attamen non hinc sequitur nequivisse Ecclesiam Calicis usum Fidelibus interdicere. Sacramentorum enim dispensatio non ex gratiarum abundantia, quod est privatum bonum, sed ex Sacramentorum dignitate, quod est bonum totius Ecclesiæ publicum, dimetiri debet.

II. Certe si Bælio adhærendum foret, necessario consequeretur non potuisse Ecclesiam Presbyteris nuptias prohibere: Matrimonium enim est Christi Sacramentum, quod gratiam sanctificantem producit. Hinc si Presbyteri à Matrimonio prohibentur, privantur quoque sanctificante illa gratia, quam per Matrimonium assequi possunt. Si igitur nequit Ecclesia gratia sanctificante, aut superabundanti Fideles orbare, nequit quoque Presbyteris Matrimonii Sacramentum prohibere. Cur itaque Paulus Virginitatem commendabat? Cur Presbyteris præsertim, et Episcopis scribebat *Volo ut omnes sint, sicut et Ego*; *Virgines nempe*?

III. Primis Ecclesiæ Seculis Cathecumeni quamvis in Christiana Doctrina optime instructi, et Christi nomen, et Crucem strenue profiterentur,

Digitized by Google

tur, non illico tamen baptizabantur, sed decem, et quindecim quoque anni præterlabi debebant, antequam ad lavacrum Regenerationis, et ad Eucharistiam admitterentur. Illi quoque, qui in lethale aliquod scelus lapsi erant, non illico absolvebantur, nec ad Communionem recipiebantur, sed aliquando septem, triginta, et quadraginta annis, aliquando quoque toto vitæ tempore pœnitentes, flentes, prostrati juxta Canonum pœnitentialium Regulam inabsoluti perseverabant. Sæculo decimo quilibet Sacerdos poterat quotidie ex antiqua, et immemorabili Ecclesiæ consuetudine tres Missas celebrare, sicut nos in die Nativitatis Dominicæ facere solemus. Attamen Ecclesia eo tempore consuetudinem illam prohibuit, precepitque, ut nemini, nisi dumtaxat unam Missam excepto Nativitatis die, celebrare liceret. Si igitur vera forent, quæ Bælius apponit, turpiter Ecclesia erravit, dum per tam longum annorum intervallum Cathecumenis Baptisma negabat, dum Pænitentibus toto quoque vitæ cursu absolutionem, et Communionem suspendebat, dum denique Sacerdotibus quotidianam trium Missarum celebrationem interdixit. In hisce enim prohibitionibus Ecclesia innumerabilibus gratiarum donis Fideles orbavit. Teneretur itaque Ecclesia non modo Cathecumenis, et vere Pœnitentibus Baptismum, et Communionem illico elargiri, verum quoque Sacerdotibus omnibus facultatem facere, ut quotidie ter, quater, et amplius quoque celebrarent. Ex Sacrificiorum enim repetitione major exoritur Dei

gloria,

Digitized by Google

gloria, validiores gratiæ vivis obtinentur, et efficaciora suffragia Defunctis conceduntur; quæ juxta nostri Bælii Opinionem Ecclesia impedire non potest. Hæc sunt horrenda monstra, quæ necessario consequuntur, si verum foret Bælii principium, nempe, Ecclesiam non posse gratias superabundantes Fidelibus interdicere.

IV. Dispensatio vero Sacramentorum, velit, nolitque Bælius, nisi ratione pene orbatus existat, et ipse necesse est nobis adstipuletur; dispensatio inquam Sacramentorum non a privato quorumdam bono, sed ex bono publico omnino est dimetienda. Hinc Calicis usus Ecclesiæ bono opponebatur. Debuit igitur ipsum Fidelibus Ecclesia interdicere, quamvis nonnulli gratia superabundanti ex hac prohibitione defraudentur.

V. Dixi Calicis usum nunc publico Ecclesiæ bono adversari: quod quidem ex historia præsertim sæculi decimi, et subsequentium nitidissime manifestatur. Tunc enim Bohemi hæretici, quos subinde Wiclefiani, et Hussitæ secuti sunt, emersere, qui inter cæteros errores docebant in Hostia non totum Christum contineri, sed solam Christi Carnem: In Calice vero solum Christi Sanguinem, non Carnem adesse. Error hic totam pene Europam ludificare minitabatur. Hinc ad detergendos Catholicos ab Hæreticis nulla alia via superfuit, nisi Communio sub una specie panis. Qui enim Catholicam doctrinam tenebant, nempe qui credebant sub specie panis totum Christum, ejusque Corpus simul et sanguinem adesse, facile hu-

Digitized by Google

le hujus Communionis contenti erant. Quod si Communionem quoque sub specie vini obstinate postulassent, illico sese hæreticos esse ostendissent.

VI. Addendum quoque: longe antea in aliquibus Ecclesiis ob irreverentias, et injurias, quæ Christi Sanguini inferebantur, jam Calicis usus prohibitus erat. Ex multitudine enim Fidelium, qui in eodem successive bibebant Calice eveniebat primo, ut plerumque Sanguinis guttæ diffluerent, atque in vestes, linteamina, et non raro usque in terram dilaberentur. Secundo, ut nonullorum stomachus nausea afficeretur, et vomitus excitarentur ex spurcitia, quam præseferebant tot labia, et ora, quæ eidem Calici admovebantur. Tertio, ut tolleretur difficultas in Communionibus Infirmorum, quibus hora qualibet, noctu, diuque deferendum erat salutis Viaticum, quod sane difficile admodum erat sub vini specie deferre, et ob imminens periculum effundendi, et ob facilitatem acescendi. Hinc Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno 1110. removeri a Laicis Calicem suadet his verbis:

Hic, et ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi;
Nam fundi posset leviter; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

Hæc sunt validissima momenta, quibus Ecclesia Calicis usum prohibuit, et quæ hanc prohibitionem necessariam effecere. Nam perfectionem hujus Sacramenti, inquit D.Thomas 3. *part. Quæst.*80. *art.*

Digitized by Google

art. 12. *ad* 2. non in usu Fidelium, sed in consecratione materiæ sitam esse; et ideo nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, si Populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque.

Disquisitio Duodecima.

Die Dominico dum Parochus intra Presbyterium quibusdam suis Parochianis sacram præbet synaxim, in Ecclesia Arnaldus, et Lucretius adeo in sese ob quoddam motivum concaluere, ut Arnaldus graviter percusserit Lucretium, qui e Templo egressus, ac percussione neglecta, cum post aliquos dies supervenisset febris, discessit e vita.

Quæritur: I. An liceat dare Laicis Communionem intra Presbyterium? 2. An Parochus potuerit deinde Missam eadem in Ecclesia celebrare? 3. An Arnaldus evaserit irregularis?

RESOLUTIO.

I. TAlis, ac tanta est reverentia, honor, et decus, quam Deus O. M. in Templis suis exigit a nobis, ut solam sanctitatem, in qua Virtutum omnium, totiusque bonitatis complementum consistit, exigat juxta illud *Psalmi* 92. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Hinc Deus ipse, ut Levitic. *Cap.* 26. legitur, commonuit Judeos dicens: *Ego Dominus Deus vester ..... pavete*

vete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus. Pænas quapropter, et quidem gravissimas Templorum profanationibus minitatur per Isaiam *Cap. 26.* inquiens: *In terra Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini*; Et per Apostolum *I. Corinth. Cap. 3. Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Summa igitur reverentia, veneratione, ac modestia in Domo Dei morari debemus. *Cum conveniτis ad locum Orationis*, inquiebat Summus Pontifex Stephanus Sextus *Serm. de Vener. Templ. debit. cum silentio state, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis Sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum, et dicentem: Cum statis ad Orationem, dimittite, si quid habetis adversus alterum, ut et Pater vester Cælestis dimittat vobis peccata vestra.*

II. Merito quapropter Ecclesia Catholica tam Græca, quam Latina ab antiqua Sinagoga edocta locum distinctum pro qualitate Fidelium in Templo Dei semper designavit, et qui Presbyteris, seu Ecclesiasticis Personis erat reservatus Laicis quidem inaccessus extiterat. Hinc ortodoxorum Græcorum mos semper fuit, obcludendi Sacrarium asseribus, ac insuper contegendi velis ingressum tempore consecrationis; et Ecclesiæ Romanæ Cancellis, seu scamnis circumdandi altare, ne quid inobservandum agere videretur: Ex quo more Presbyterii nomen profluit, quod Ecclesiasticis fuit semper pervium, et Laicis inaccessum, prout nos edocet Macrius in suo Hierolexicon sub verbo *Cancelli*.

Digitized by Google

III. Hinc Canones omnes referre, qui hujus disciplinæ observantiam commendarunt semper, inculcaruntque, supervacaneum est: Sufficiat Concilii Rothomagensis an. 1581. celebrati Decretum, ex quo istud Disciplinæ Caput negligendum non esse evincimur: *Cum*, inquit, *nihil magis ornet Ecclesiam quam rerum omnium in ea ordo, Sacrarium, seu Chorus Presbiteris Sacra facientibus semper fuit assignatus. Eo tamen progreditur quorumdam Laicorum arrogantia, ut vix relinquant Altare Sacerdotibus. Hos monemus in Domino, ut potius Publicanum imitentur in imo loco Templi pro peccatis supplicem, et per humilitatem justificatum, quam Pharisæum præ superbia ad inferos usque dejectum. Pro sua vero dignitate, statu, et gradu locum sibi unusquisque in Ecclesia capiat, sed Sacrarium ad obeunda Sacra sciat esse Sacerdotibus destinatum. Quisquis in hac re per suos Ministros monentem, et rogantem non audierit, per hanc Synodum excommunicetur*. Sufficiat quoque id quod præcipitur ab Instructione Clementina confirmata per Concilium Romanum ann. 1725 sub Benedicto Papa XIII. Sufficiat tandem ipsummet Concilium Romanum, quod *Tit.* XXVIII. *Cap.* 4. sic habet: *Alias generali S. Sedis Decreto in Ecclesiis, etiam Regularium, intra Presbyteriorum, et Altarium septa, dum Missæ ibi celebrantur, aliave divina Officia persolvuntur, sæcularium personarum cujuscumque conditionis, et sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Verumtamen cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, et ibidem*

aut

aut stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, id iterum juxta Sacrorum Canonum, ejusdemque Apostolicæ Sedis mentem, sub Ecclesiarum, Regularium etiam, et quomodocumque exemptarum, interdicti pœna ipso facto incurrenda, et Romano Pontifici reservata, inhibemus; mandantes, ut, si quæ sint pro laicis sacra intra loca prædicta, Sedes, scamna, et genuflexoria, illinc auferantur, et removeantur omnino; Presbyterium ergo est locus solis Presbyteris, seu Ecclesiasticis Personis reservatus.

IV. Illicitum quapropter est Laicis dare Communionem intra Presbyterium. Quod enim tot Decretis Laicis inacessum redditur, permitti non potest; ut ipsi ingrediantur ob sacram suscipiendam Synaxim: Atqui Presbyterium impervium semper Laicis extitit; Ergo servandum omnino est Concilii Toletani III. decretum, nempe: *Communionem Cleri faciendam esse intra Presbyterium, laicorum extra*, dummodo tamen non sint Reges, quibus tamquam sacro Chrismate delibutis parcendum est, aut ille, qui Sacerdoti actu inserviat.

V. Ut maximum inde reverentiæ, pietatisque sensum in nobis dum in Templo versamur excitarent Sancti Ecclesiæ Præsules Spiritus Sancti illustrationibus ducti statuerunt, quod si delictum aliquod in templis committeretur, in ipsis Orationes, publicæ victimæ, oblationes, et Sacrificia illico cessare jure merito deberent; donec fieret reconciliatio aqua lustrali a Presbytero, si Ecclesia benedicta tantum, non consecrata foret;

 asper-

aspersione aquæ vino, ac cinere commixtæ ab Episcopo, quando Ecclesia est consecrata. Quæ omnia designant Deum oculos apertos ad misericorditer videndum, auresque ad benigne audiendum erectas, sicuti in Scripturis Sanctis pollicitus est, amplius non habere, donec per Benedictionem a Sacerdotibus faciendam denuo Ecclesia a contaminatione expurgetur.

VI. Inter atrociora crimina, quæ Domini Sanctuarium polluunt a Canonistis recensentur primo injuriosa humani Sanguinis effusio, et homicidium, quod, etiam non effuso sanguine in Ecclesia patratur; uti *Cap. 4. de consecr. Eccles.* apertissime liquet; item humani seminis voluntaria effusio, prout constat ex *Cap. 4. et ultim. eod.*, et denique infidelis, aut excommunicati vitandi sepultura, ut constat ex *Cap. 7. Can. 27. de consecr. dist.* 1. Ad hoc tamen, ut homicidio, gravique vulnere sacræ polluantur Ædes, variæ, quæ a Canonistis, quibus non refragantur Theologi, ascribuntur, conditiones desiderantur, quas in antecessum ponere pro hujus Casus solutione pernecessarium arbitror. Tres igitur sunt præfatæ conditiones. Prima nempe, ut Vulnus infligatur homini in Templo existenti. Secunda, ut percussio sit gravis, seu talis, quæ sit peccatum mortale. Tertia tandem, ut tale factum sit notorium juris, aut facti scientia.

VII. Ex his igitur constat secundi quæsiti solutio. Nempe: Parochus non potuit post gravem illam percussionem Missam in eadem Ecclesia celebrare.

Digitized by Google

lebrare. Si enim Eccleſia violetur, aut polluatur, res divina in ea fieri non poteſt, uti habetur: *Cap. ult. de conſecr. Eccleſ.* Hinc qui celebrat in Eccleſia polluta, graviter contra Eccleſiæ mandatum delinquit, cum res ſit magni momenti. Atqui præfatus Parochus in Eccleſia polluta in caſu celebraret, ut demonſtrat Innocentius III. *Deciſ. in Cap. Propoſuiſti*, D. Antoninus §. *III.* Summæ Theologicæ *tit.* 12. §. 3. ubi ait: *Secus ſi in Eccleſia vulneretur, et extra moriatur, quia tunc violatur.* Quibus adhærent Cabaſſutius, qui Jure Canonico, et Theologico inquit: *Polluitur ſacer locus, ſi vulnere ibi accepto, ſaucius foras egrediatur, nec niſi poſt egreſſionem ſanguinem effundat*; Sylvius, qui in 3. *p.* Summæ D. Thomæ dicit: *Porro ad hanc Eccleſiæ pollutionem ſatis eſt, quod vulnus infligatur in Eccleſia, etiamſi Sanguis in ea non fluat, quia tunc intra Eccleſiam data eſt injurioſa, atque proxima cauſſa effuſionis*; Et ſexcenti alii, quos ne elenchum texere videar, relinquo; Ergo in illa Eccleſia Parochus non amplius poteſt celebrare, quin gravis inobedientiæ reus evadat.

VIII. Nos non latet Barboſam contrariam defenſantem Sententiam expoſcere ſanguinis effuſionem, ut Eccleſia polluta dicatur. At ipſemet fatetur circa hoc ſe a communi ſententia recedere. Deinde dicimus non materialitatem, ſed formalitatem delicti conſiderandam eſſe, quæ in actione injurioſa conſiſtit, quæque excludit præcipuum illum honorem, ac reverentiam, quam nos

omnes

omnes in illo tam pleno Majestatis loco præseferre oportet . Quapropter aut Sanguinis effusio in Ecclesia concurrat, aut non, semper stabit ipsam ab ea gravi percussione temere violatam fuisse ; ac proinde Parochum improbandum fore, si deinde in illa celebret.

IX Opponunt aliqui diem festum, nec non et necessitatem auscultandi Missam in Populo objiciunt. Sed respondemus: Vel Parochus ad aliam una cum Populo pergere quit Ecclesiam; Vel non: Si primum, evanescit difficultas. Si secundum, cessat obligatio, quia deficit locus aptus pro Missæ celebratione: Sicuti enim male se gereret Parochus, si deficientibus sacris indumentis, celebraret sine illis, ne Populus missa die festivo careret; ita pari passu, parique ratione de Parocho in casu affirmandum est, quia tam loci, quam Indumentorum obligatio in Missæ celebratione pari gradiuntur incessu.

X. Tertio tandem loco quæritur: Num Arnaldus irregularitatem incurrerit? Utique respondemus; quia *in Cap. suscepimus*, *Cap. De cætero*, *Cap. Continebatur*. *Cap. Presbiterum*, *et Cap. final. de homicid. statuitur: Occidentem dantem operam rei illicitæ, et sibi aliqua ratione prohibitæ, manere irregularem*. Hinc, quæ pendent ex Juris dispositione sequenda sunt juxta sententiam inter juristas receptam, ad quos juris intelligentia spectat. Porro Juristæ fere omnes sentiunt irregularem esse illum, qui caussa alterius mortis fuit dando operam rei illicitæ: Ergo Arnaldus gravi *illa illic* ita percussione irregularitatem suscepit. XI.

Digitized by Google

XI. Hæc, quæ a jure Canonico sancita fuere, Theologi quoque amplexantur, qui uno ore fatentur ab irregularitate immunem non esse illum constituendum, qui rei illicitæ, simulve periculosæ operam dat, eo quia in tali casu mortem fortassis obventuram prævidere poterat, et debuerat. Atqui Arnaldi percussio dubio procul nedum illicita fuit, verum quoque periculosa; Igitur prævidere poterat, et debuerat, quæ inde fortassis erant obventura, ac per consequens irregularis effectus est.

XII. Reponunt aliqui Mortem secutam non percussioni, sed negligentiæ, et incuriæ percussionem passi esse adscribendam. Ast liceat cum celeberrimo Theologo tali pacto huic objectioni occurrere: Duplex in morte Lucretii partialis caussa est distinguenda. Prior est percussio, secunda est negligentia illius, qui percussionem passus est. Ex priore autem duplici ex capite Arnaldus percussor reus constituitur, nempe, quia illicite percussit; et quia licet lethalis eadem percussio non fuerit, attamen mortem valuit afferre: sed qui rem vetitam, sive illicitam gerit *Cap. 7. 8. 12. de homicid.* ex qua fortuitum profluit homicidium; qui in alterius mortem influit procul dubio est irregularis; Ergo et Arnaldus.

XIII. Insurgunt iterum: Mors non accidisset, quoties læsus diligentiam adhibuisset, ut sanitatem adipisceretur; ergo illius culpæ, non autem percussioni erit mors adscribenda. Nos autem pari, et quidem potiori insurgimus ratione: Mors

Digitized by Google

Mors ex percussione certo non evenisset, percussione eadem non extante; igitur mors percussioni, proindeque percutienti est imputanda; indeque merito concludit idem Theologus: si quis alium percusserit vulnere non mortifero, dans tamen operam rei illicitæ, si ille moriatur ex negligentia Medici, vel incuria sui, irregularis est. Quæ omnia sugellet Clemens III. *Cap.* 12. *ad audientiam*, ubi casus affertur de Presbytero, qui cum volens corrigere quemdam de familia sua cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentaret, contigit, quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso aliquantulum vulneravit; postmodum vero cum ille vulneratus aliquamdiu vixisset, et convaluisset a vulnere, alia graviori (ut dicitur) infirmitate percussus viam est universæ carnis ingressus: Ubi Pontifex ait: *Quia vero utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuæ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret*. Ex qua responsione apprime colligitur, quod licet dubium sit, an percussionis occasione quis interierit, licet in aliam postea lapsus sit infirmitatem, vel quoque post percussionis sanationem quis morbo consumetur, percussores irregulares constituuntur. Ergo potiori ratione Arnaldum irregularem nos constituimus.

Disqui-

Digitized by Google

Disquiſitio Undecima.

Ilſungus Sacerdos, quamvis mortalis culpæ ſibi conſcius, non modo Confeſſiones audit; et Eucharistiam adminiſtrat; verum quoque Miſſam celebrat. In hiſce gerendis arbitratur ſeſe lethaliter non peccare, tum quia ex neceſſitate id facit, tum etiam quia mandatum Concilii Tridentini: Confitendi quamprimum, *contendit conſilium eſſe, non præceptum.*

Quæritur: Quid dicendum de hac Theoria, et praxi?

RESOLUTIO.

I. ILſungus celebris fuit Sæculi decimi ſexti Scriptor, qui univerſam moralem Theologiam juxta Caſuiſticum, et Probabiliſticum genium tunc temporis acceptiſſimum pertractavit, et huic Disquiſitioni materiam, nomenque ſuum miniſtravit.

II. Iſte igitur omnes ſubtilitatis metaphyſicæ nervos intendit, ut demonſtret mandatum Concilii Tridentini de præmittenda Sacramentali Confeſſione inculcatum Sacerdotibus celebrare volentibus, qui lethalis culpæ ſunt conſcii, non veri Præcepti, ſed conſilii dumtaxat indolem præſeferre, ſatisque eſſe ſi Contritionis Actus eliciatur. Pluribus argumentis hanc ſuam aſſertionem Ilſungus ſtabilire conatur, quæ, ut brevitati hiſce diebus apprime neceſſariæ conſulam, ad duo Capita revocabo. Scribit Ilſungus: Concilium Tridentinum neceſſitatem Confeſſionis præmittendæ dedu-

deducit ex D. Pauli Testimonio, nempe: *Probet seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de Calice bibat*. Atqui neque in hoc loco, neque in alio D. Paulus Confessionem præcipit ad dignam Eucharistiæ susceptionem: Ergo neque Concilium Tridentinum. Minorem propositionem probat: Nam D. Paulus non ait: Probet seipsum homo, et confiteatur: Sed dumtaxat probet, hoc est, conscientiam suam examinet, doleatque, si lethalis culpæ conscium sese agnoscat. Cum itaque D. Paulus nullibi Confessionis mentionem faciat, concludit Ilsungus hanc a D. Paulo nunquam fuisse imperatam, ac proinde neque a Concilio Tridentino, quod in D. Pauli doctrina eo in loco totum fulcitur.

III. Secundo: Cur, inquit, Sacramentalis Confessio præmittatur oportet? Sane quia ad Sacramenta conficienda, atque suscipienda est necessarius Status gratiæ: Nam sancta sancte tractanda sunt: Atqui Status gratiæ satis obtinetur per contritionis actum; Ergo sola Contritio necessaria est, sacramentalis proinde Confessio non est absolute necessaria: Atqui quæ non sunt absolute necessaria imperanda non sunt, sed solummodo consulenda; Ergo præviam Confessionem Tridentina Synodus non imperavit; sed dumtaxat consuluit. Hactenus Ilsungus, si Diis placet, equidem subtilissime!

IV. Examinemus igitur has Ilsungi Subtilitates. Primo loco publice fateor, me nunquam intelligere potuisse beatam illam facilitatem, qua in unico

unico veluti temporis momento actus contritionis elici queat. Veræ, perfectæque Contritionis actus est efficacissima miserentis Dei gratia, quam de condigno nemini Deus dare tenetur. Sanctus enim Spiritus spirat ubi vult; et quando vult. Non est itaque in nostris manibus tantam doloris gratiam habere, et verum contritionis actum perficere. Orationibus instandum est, meditationibus, et gemitibus pulsandum, ut Misericordiæ Ostia nobis reserentur, veramque cordis contritionem obtineamus. Quomodo igitur Sacerdos mortalis sceleris conscius, qui sacramentalem Confessionem ignariter prætermittit, de gratia contritionis præsumet? Perfectus doloris actus difficillimus est, paucisque concessus.

V. Fateor ope veræ contritionis peccata omnia deleri; At quis temere sibi blandiatur, tantam habuisse contritionem? En itaque unde Confessionis necessitas derivatur, eamque non consilium esse, sed primi ordinis præceptum. Quilibet Christianus nisi adversus Spiritum Sanctum superbe præsumat, de sua debet contritione dubitare, ac pertimescere. Contritio dubia est attritio. Cum attritione sacramentalis Confessio conjungenda est, ut Status gratiæ obtineatur; Ergo non ex consilio, sed ex præcepto Sacramentalem Confessionem Sacerdos præmittere debet, qui lethalis culpæ conscius Missam celebrare velit.

VI. Sed D. Paulus, inquit Ilsungus, scripsit: *Probet seipsum homo*; Non autem dixit, Confiteatur. Mirifica sane interpretatio! Respondeo

deo itaque: Scripturæ verba non sunt juxta privatum Lutheranorum spiritum, sed juxta Ecclesiæ Oracula interpretanda: Ecclesia sub illis Pauli vocibus: *Probet seipsum homo*, intelligit præviæ Confessionis præceptum. Probatio itaque, quam D. Paulus imperat Sacramentalem Confessionem includit. Secundo, asserit Paulus, ut Homo semetipsum probet, nempe, ut non modo semet examinet, verum quoque, ut faciat totum id, quod potest, ut statum gratiæ adipiscatur, ne judicium sibi manducet, et bibat: Atqui ad statum gratiæ adipiscendum Sacramentalis Confessio est medium omnium tutissimum, atque facillimum; Ergo ex D. Paulo tenetur homo sacramentaliter confiteri, si potest, antequam Eucharisticum panem manducet. Quamobrem Ilsungi theoriam, et praxim veluti temerariam, erroneam, et scandalosam anathemate confixit Alexander VII. Propositione XXXVIII., quæ talis erat. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

Disquisitio Duodecima.

Martinus Confessarius prohibet, ne sacram Hostiam percipiant Pœnitentes quoque illi, in quibus viget affectus ad peccata venialia.

Quæritur: An nimis rigidus sit adjudicandus?

RESO-

RESOLUTIO.

I. Cum quis ad sacram proponit accedere Eucharistiam in mente sculptum habeat necesse est, quod non præparatur Homini habitatio, sed Deo. Quapropter D. Chrysostomus ita monitos volebat Christi fideles illos communicare volentes: *Nemo accedat cum nausea, nemo remissus, omnes ferventes, et excitati*. Nam si Judæi stantes, et calceamenta in pedibus habentes, et baculos in manibus gestantes Agnum cum festinatione comedebant, te magis oportet esse solertem, et vigilantem. Cum ita sit in præsenti Disquisitione merito in scænam venit Martinus, qui prohibet, ne ad Eucharisticam Mensam accedant Pœnitentes illi, in quibus amor viget erga peccata venialia.

II. Ut igitur de ipso rectum feramus nostrum judicium, opportunum ducimus animadvertere Amorem erga peccata venialia esse voluntatis actum, quo non modo eadem detestari volumus, quinimmo diligimus, adprobamus, atque in iisdem patrandis perseverare volumus. Hinc hujusmodi culpæ non inopinato, atque ex humanæ naturæ imbecillitate, sed ex ipsa voluntate deliberate, atque consulto proficiscuntur. Sunt hujusmodi peccata juxta Spiritus Sancti phrasim Vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineam, quæque, ut illico capiantur, atque exterminentur, idem Spiritus nobis præcipit. De iisdem dictum est, qui modica spernit, paullatim decidit. Eadem periculosum tepiditatis

piditatis statum constituunt, de quo Joannes in Apocalypsi scripsit adversus Angelum, scilicet Episcopum Ecclesiæ Laodiciæ dicens: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. En venio ad te, et movebo candelabrum tuum de loco suo.*

III. Voluntarium hujusmodi affectum erga quædam peccata venialia ob imminens in mortalia labendi periculum, et ob explicitum contemptum charitatis, qua jubemur Deum super omnia diligere, omnes Ecclesiæ Doctores gravissimam culpam appellant, et statum peccati mortalis. Præ omnibus audiatur Bernardus Sermone I. *Cavete, ne quis hæc parva reputet: nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere; Hæc enim blasphemia est in Spiritum Sanctum; quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in altero.*

IV. Vetusta Ecclesiæ disciplina, quæ etiam usque ad S. Martini tempora intacta servabatur, a sacra Communione arcebat omnes, qui aliquem affectum erga venialia confovebant. Neque dicendum, hujus disciplinæ rigorem fuisse laxatum. Nam eadem omnino est peccati venialis natura, eadem Eucharistiæ Sanctitas, Divinitas, Majestas. Revera si ex Oraculo Christi Domini decretum est: Si quis diligit Patrem, et Matrem suam plus quam me, non est me dignus; quomodo dignum judicabimus hominem, qui venialia peccata diligit plusquam Christum? Ipsemet Salvator antequam Discipulos suos in ultima cœna communicaret præcepit sub æternæ damnationis pœna, voluit-

voluitque manibus suis eorumdem pedes lavare, scilicet, peccata venialia dirimere, ut ex contextu patet, ut ita tanti Sacramenti participes fierent. Qui ergo peccata venialia delere recusat, nolunt pedes abluere. Sunt itaque ex iis, quibus in Persona Petri Christus dixit. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*.

V. Hæc, quæ breviter non ex cœnosis Casuistarum Commentariolis; sed ex Evangelio, ex Patribus, et ex Ecclesia transcripsi, Martinum nostrum non modo nimiæ rigiditatis non accusant; sed summopere commendant, ejusque praxim juxta superius expositam peccatorum venialium distinctionem omnibus imitandam proponunt; *quia magnum*, inquit S. Franciscus Salesius §. 3. *Cap.* 25. *inter leve peccatum, et ejus affectum intercedit discrimen; Nam venialia omnino vitare ad longum tempus nunquam possumus; ab affectu vero cavere omnino possumus.... Igitur affectus ille ex animo penitus avelli debet, quoniam studiose fovere id, quod adeo displicet Deo, prout est voluntas displicendi Deo, magni torporis, et tepiditatis est. Peccatum veniale quantumvis leve animam sauciat, quamvis lethaliter non conficiat. Quod si peccatum veniale displicet Deo, numquid affectus ejusdem propositum præstat, et voluntatem perseverandi in re, quæ displicet Deo?*

Disqui

Digitized by Google

Disquisitio Tertia Decima.

Severus Confessarius veluti Sacrilegos traducit illos omnes, qui ad sacram synaxim accedunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Ex adverso vero Tamburinus frequentem Communionem non modo consulit, verum quoque omni studio præcipit, veluti remedium facillimum, efficax, atque certissimum, quo peccata elapsa præsentia, et futura convelluntur, exterminantur, atque impediuntur.

Quæritur Utriusque Doctrinæ, et praxis examen:

RESOLUTIO.

I. HAc in Disquisitione duo extrema præsentantur rigiditatis, et laxitatis puncta, quæ Severus, et Tamburinus Theologiæ Scriptores omnibus sophisticæ scholæ argumentis docuerunt, atque defensarunt. Severi doctrinam contendentis: *Sacrilegos esse judicandos, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint*, Ecclesiastico anathemate jaculatus est Alexander VIII. propositione vigesima secunda. Tamburini laxitatem volentis *Communionis frequentiam omnibus non modo consulendam, verum quoque imperandam esse, utpote remedium facillimum, efficax, atque certissimum, quo peccata elapsa præsentia, et futura exterminantur; eamque esse prædestinationis notam in his*

quo-

Digitized by Google

que, qui gentiliter vivunt; propositione quinquagesima sexta proscripsit solemniter Innocentius XI. elapso sæculo

Teterrimum laxitatis monstrum centum fere annos veluti sub cineribus delituit, donec anno millesimo septingentesimo, quadragesimo quinto ab anonymo Theologo iterum in scænam invectum fuit, integro volumine gallice exarato, cui Titulus italice redditus: *Lo Spirito di Gesù Cristo, e della Chiesa sopra la frequente Comunione*. Opus hujusmodi illico suppressum fuit, atque innumeris Gallorum Episcoporum, et Sorbonicæ facultatis Decretis, atque censuris confixum. Historicum hujusmodi factum huic Disquisitioni præbuit occasionem; et ideo hujus doctrinæ examen expostulatur.

III. Ac primo illud inquirendum, quo malo genio factum sit, ut in quolibet vel minimo præcepti genere, atque in ipsa sanctissimæ Eucharistiæ perceptione Christianæ Moralis facultas tot quæstionibus, tantisque Doctorum dissidiis scateat, ut sacra nunc pacifici Salomonis porticus acerbioribus rixis, et litigantium clamoribus redundet, quam antiquum, prophanumque Areopagum ex innumeris tantarum Sectarum Philosophiis non resonabat? Secundo: Quæ sit tenenda via in sacra Eucharistiæ distributione inter tot opposita Doctorum placita? Duo hæc amplissimam, tutamque statuent methodum ad utriusque Casus enodationem.

IV. A primo exordiamur. Neminem latet

ante

ante sæculum duodecimum de conscientiæ casibus nunquam disputari solitum. Quæ in dies peccata, et peccatorum circumstantiæ, difficultatesque occurrebant, Confessarii ad Scripturas, et Patres, ad Ecclesiæ, et Conciliorum Decreta, et Canones confugiebant. Si in hisce germanæ Theologiæ locis difficultates sibi objectas expresse explicatas, atque definitas perlegebant, repertis sanctionibus firmissime adhærebant, easque veluti Dei oracula venerabantur. Sin autem dubium aliquod excitabatur, quod satis nec per Scripturas, neque per traditionis regulas, et canones dirimi potuisset, tunc tota difficultas ad Episcopum referebatur; qui indicta Presbyterorum Congregatione, (unde Congregationes hodiernæ ortum habuere suum) id in Domino statuebat, quod magis Scripturæ, et traditioni consonum esse videbatur. Ultra Scripturæ, et Traditionis cancellos excurrere ne somniabant quidem. Hinc pacata omnia, et quæstiones aut nullæ, aut si aliqua exoriebatur, illico per Scripturas, Sanctosque Patres terminabatur.

V. At postquam Aristotelis genium Christianas Scholas undique pervasit, sibique captivavit, tunc factum est, ut Theologos Doctores puderet vehementissime sese tantummodo Christianos esse, nempe, quin simul Aristotelem saperent, et Aristotelici haberentur. Tunc placuit de quocumque conscientiæ casu in utramque partem ex Aristotelis organo disputare. Tunc quæstiones quæstionibus agglomerari cæpere, tunc exorta Opinionum dissidia, et scholarum bella magis magisque excruducere. VI.

VI. Quærimus hac in Disquiſitione utrum ſacrilegi haberi debeant, qui ad ſacram Communionem accedunt antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint? Quærimus etiam utrum ſacra Communio ſit remedium efficaciſſimum ad peccata convellenda, adeo ut omnibus omnino præcipienda ſit? Si Dianam, Bonacinam, Anacletum, alteriuſque Doctoris Volumina pervolvimus, quam enormis Opinionum varietas, quanta diſtinctiuncularum farrago, quæ argumentorum ſibi contradicentium colluvies! Jure ſane, ac merito. Hac enim methodo efficimur nubes ſine aqua, quæ ab omni vento doctrinæ circumferuntur. Derelictis fontibus aquæ vivæ excavamus nobis ciſternas veteres, quæ aquas continere non valent, atque per hanc viam Babylonem verſus incedentes, aut cum Severo noſtro ſacrilegos arbitrabimur illos, qui ad Euchariſtiam accedunt, antequam dignam de patratis criminibus pœnitentiam egerint; aut cum Tamburino Euchariſtiam dabimus illis quoque, qui gentiliter vivunt. En primæ partis examen, en reſeratam malorum ſcaturiginem, quibus factum eſt, ut Moralis Theologia, amiſſo nativo ſplendore, barbara, atque inculta deſpiciatur, noviſque ſemper quæſtiunculis deformata a Filiis hujus ſæculi veluti perridicula venditetur.

VII. Progrediamur ad ſecundam hujus examinis partem. Quid nempe faciendum? Quænam methodus in ſacra Euchariſtiæ diſtributione inter tot diſſidentia Doctorum placita? Inquam cum

Digitized by Google

Christo Domino: *Scrutamini Scripturas*. Et cum Spiritu Sancto: *mementote dierum antiquorum*: *Interrogate Patres vestros, et annunciabunt Vobis; Majores vestros, et dicent vobis*. Hi sunt duo cardines, nempe, Scriptura, et Traditio, quibus, ut invicte demonstrat Melchior Canus, Christiana conscientiarum Dogmata sarcta tecta servantur.

VIII. Hinc Scripturæ, et Patribus adversatur Severi praxis. Nullibi enim neque in Scriptura, neque in Patrum Traditione reperitur, ut quis antequam ad sacram Synaxim accedat condignam agat de peccatis suis pœnitentiam. Nova est igitur Severi doctrina. Doctrinæ autem novæ, ut alibi demonstravimus, in Ecclesia Dei aut hæreses sunt, aut hæresis vehementissime suspectæ. Revera nemo scit, an odio, vel amore dignus sit, nemo de propitiato peccato potest esse securus; Ergo nunquam scire quis potest, an condignam de peccatis suis pœnitentiam perfecerit. Nunquam igitur communicandus? Fateor primis Ecclesiæ sæculis nonnullos peccatores a sacra Communione excludi solitos, quousquecanonicam pœnitentiam non perfecerint. At hæc prohibitio publicos, atque enormiores afficiebat peccatores, qui propterea in Ecclesia coram Populo inter Pœnitentes a cæteris segregati flentes, cinere conspersi, et cilicio onusti sacris functionibus adstabant.

IX. Hanc canonicam pœnitentiam Theodosio Imperatori ob crudelissimam cædem Thessalonicæ factam D. Ambrosius imposuit, triennalique pœniten-

nitentia completa ad sacram Communionem pœnitentem Imperatorem recepit. Ex adverso Arcadium Imperatorem Eucharistia, et Fidelium Communione idem Ambrosius privavit, quia impositam Canonum satisfactionem peragere obstinate recusavit. Ita ex historia de lapsis, illi, qui in persecutione Ethnicorum acerbitatem cruciatuum ferre non valentes Christum negabant publica pœnitentia plectebantur, qua completa Eucharistiam recipiebant. A nemine autem exigebatur, ut crimina sua condigna apud Deum pœnitentia deleret, antequam Eucharistiam perciperet.

X. En igitur censura adversus Severum Confessarium. Ejus doctrina nova est, Scripturis incognita, et Patribus nostris inaudita. Pœnitentiam condignam Communioni præmittere adversatur Scripturis, quæ incertum esse docent utrum peccatum satis expiatum fuerit, adversatur Patribus, qui solummodo publicos peccatores a Communione expellebant. Denique a germanis Christianæ Theologiæ principiis exorbitat, quæ præcipiunt, ut morales quæstiones non ab humanæ sapientiæ ratiunculis; sed ex Scriptura, et Patribus decidantur. Jure propterea anathemate perculsa.

XI. Tamburini nunc theoriam, et praxim exagitemus, atque spretis Casuisticis subtilitatibus Scripturam, et Traditionem audiamus. In anteactis Disquisitionibns demonstravimus, Scripturam, et Traditionem nihil vehementius præcipere, nihil gravius inculcare, quam necessarias dispositiones Sacræ Communioni præmittendas. Ut quis licite

Digitized by Google

licite hoc Sacramentum recipiat, mortali culpa careat necesse est, secus judicium sibi manducat, et bibit. Ut vero Sacramenti effectum, seu fructum obtineat, oportet, ut venialia quoque peccata detestetur: Peccata enim venialia, quæ consulto foventur, et diliguntur sunt Vulpes parvulæ, quæ demoliuntur Vineam Domini. Nimis patientissimos Auditores defatigarem, si Scripturæ, et Ecclesiæ monumenta hac de re iterum recitarem. Concilium Tridentinum verbis formidine plenis *Sess.* 13. exigit non modo, ut quis a mortali culpa sit immunis, verum quoque, ut magnam habeat reverentiam, et sanctitatem. Quare S. Franciscus Salesius 2. parte scripsit: *Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo; Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo, et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit; utor ipsis B. Augustini verbis, quem sequens quotidianam Communionem nec laudo, nec vitupero*. D. Bonaventura dicit, *Si ergo quæritur, utrum expediat frequentare alicui, dicendum, quod si videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, et tardum, laudandum est, quod raro. Si attamen medio modo, medio modo debet se habere, et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor*. Innocentius XI. Decreto, quod incipit: *Cum ad aures nostras*: decernit *num.* 2. *Statum gratiæ absolute non sufficere ad quotidia-*

Digitized by Google

tidianam Communionem. Et num. 4. Quotidianam Communionem concedi posse Monialibus dumtaxat illis, quæ ferventiore charitate ardent, spiritusque ardore incalescunt.

XII. Hæc sunt nostræ Religionis Dogmata; ex quibus hæc consectaria consequuntur. Scripturæ, et Traditioni standum est. Scriptura, et Traditio ad sacram Synaxim præsertim frequenter recipiendam exposcunt non modo statum gratiæ, verum quoque sanctitatem magnam ex Concilio Tridentino, voluntatem a peccatis venialibus voluntariis alienam juxta Sanctos Patres, et ferventiorem in dies charitatem, et incalescentem Sancti Spiritus ardorem juxta Decretum Innocentii XI. Hæc magna Sanctitas: Hæc voluntas peccatis quoque venialibus adversa: Hæc fervida Charitas: Hic Sancti Spiritus ardor in paucis Christianis nostro ævo reperitur; frequens igitur Communio paucis concedenda, et Tamburini praxis, utpote Scripturæ, et Traditioni adversa penitus reprobanda.

XIII. At unde hæc magna sanctitas, hæc fervida voluntas, et Charitas dignosci queant? Respondeo: Ex fructibus eorum. Si Pœnitentes ex sacra Communione meliores evadant, nempe, si relapsus difficiliores, et diligentior virtutum exercitatio prudens Confessarius frequentius quoque hoc cælesti Pane eos reficiat. At si culpæ fere eædem, eadem tepiditas, virtutum sterilitas eadem, Communionem vetet, præscribatque, ut Jejuniis, orationibus, eleemosinis, & virtutum exercitio ita se præparent, ut cum nuptiali veste ad Christi Mensam

exci-

excipi valeant. Qua de caussa quilibet Confessarius insculptum in mente teneat id, quod scripsit Ven. M. Avila *Ep.* 1. *Neque ipsis* (Pœnitentibus) *ita habenæ laxandæ sunt, ut quandocumque lubet ad sacram Communionem possint accedere. Plerique enim vanitate potius, quam vera devotione ducti id faciunt, neque ea, qua par est reverentia accedunt; quia et hujuscemodi homines eo deveniunt, ut ab Eucharistiæ sumptione nullum fructum referant, nec spiritualem gustum percipiant. Quod cum magnum soleat animabus damnum afferre, hinc sedulo ne eo deducantur cavendum. Quapropter magnam erga augustissimum illud Mysterium in eorum animis reverentiam excitare oportet, quæ si in iis non deprehendatur, vehementer coarguendi sunt, ac castigandi, sacri illius panis esum illis districte inhibendo, donec illius percipiendi ingens in ipsis excitetur esuries, seseque valde indignos dijudicent, agnoscantque .... Hinc S. Bonaventura confidenter ajebat: Inter illos omnes, quibuscum fuerat versatus, nullum reperisse, cui frequentior Eucharistiæ perceptio foret indulgenda. S. Franciscus de Paula, quum pietatem colere cœpit, quater in anno, aut quinquies Eucharistiam sumebat, et postquam in via Sanctitatis, et perfectionis valde progressus fuerat quolibet die Dominico. Igitur Sancti illius, ac cælestis cibi loco aliud oporteret ediscere, nempe aliis bonis operibus in honorem Domini nostri vacare, ut quolibet die pravam inclinationem, ac animi passionem compescere, et extirpare, aut aliud efficere, quod oculis Divinæ majestatis arrideat. Enimvero e Confessarii pedibus*

dibus illico ad ſacram Menſam convolare illud præjudicium ſolet multis afferre, ut nullum ſe exiſtiment bonum opus patrare, niſi exiguo illo tempore, quod in Euchariſtia illico percipienda inſumunt.

XIV. En igitur hujus meæ Elucubratiunculæ Synopſis. Moralis Theologiæ ſtudium ex Scriptura, et Traditione totum conficiendum eſt. Hæc enim eſt Sanctuarii Statera. Privatorum Doctorum opiniones ſunt ſtatera doloſa, diluvium aquarum multarum, et verbum fallax in ore Prophetarum. Hæc cauſſa fuit cur Severus nimium rigidus: Et Tamburinus nimium laxus. Sacra Communio licite, et ſalubriter concedenda quotieſcumque ſanctificantis gratiæ augmentum gigni conſpicitur, et Fideles de virtute in virtutem proficiſcuntur. Si virtutum germen areſcat, Communio vetatur, donec gratiæ ardor ferveſcat. Arbores enim hujuſmodi ſunt Plantæ autumnales, bis mortuæ, et ſpuma feri maris, quæ charitatis igne excitari debent antequam Jeſum complectantur.

Disquiſitio Quartadecima.

Infirmo cuidam in ſummo vitæ diſcrimine verſanti Viaticum adminiſtrandum eſt. At nullæ ſunt conſecratæ Hoſtiæ, et Sacerdos jejunus non eſt.

Quæritur: Num celebrare poſſit, ne Moribundus Viatico orbetur?

RE-

RESOLUTIO.

I. HUjus Disquisitionis Casus est veluti Corollarium, quod ex transactis Disquisitionibus derivatur. Ipsius itaque Examen ex præjactis principiis aggrediamur. Ex divino Prœcepto Fidelium unumquemque urgeri, ut aliquando Sacram sumat Synaxim invicte demonstratum fuit. Nitidissimis quippe verbis decrevit Christus, *ut nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Præceptum hujusmodi gravius urget eos, qui in discrimine Mortis versantur. Assertum utique invicte patet ex historia Ecclesiastica, ac perpetua totius Ecclesiæ Traditione. A primis enim Ecclesiæ incunabulis Fideles Eucharistiam Domibus peculiariter sibi servabant non modo, ut in dies eo Sacramento vescerentur, sed præsertim ut cum persecutionis rumor proximus streperet, illico eo cibo veluti Viatico reficerentur, atque ita roborati Ethnicorum machinamenta eluderent, et cruciatuum atrocitatem superarent.

II. Hinc nonnullos Martyres legimus eo temporis momento comprehensos dum cælestem hunc Panem ore festinanter deglutirent. Necessitatem ex Divino jure Viaticum sumendi dum lethali morbo quis laborat a quibusdam Hæreticorum erroribus Concilium Nicænum primum Canone 12. invictissime vindicavit, jussitque, ut antiquissima consue-

suetudo deferendi ad Infirmos Viaticum Eucharisticum religiose servaretur.

III. Hæc, quæ hactenus recitavi conferamus paullisper, atque ad expositi Casus examen progrediamur. Dum duo occurrunt Præcepta, quæ sibi mutuo adversari videantur, observandum est illud, quod gravius est, omittendum alterum. Expedit obedire Deo magis quam hominibus, neque transgredi fas est Mandata Dei propter traditiones nostras. Igitur si divinum urgeat Præceptum, et ex adverso stet Ecclesiasticæ disciplinæ Mandatum, primum sane observandum, tutaque conscientia disciplinæ Ecclesiasticæ valedicendum. Divino Præcepto statutum est, ut sacrum Viaticum præbeatur Infirmo in mortis discrimine constituto. Præceptum vero de jejunio præmittendo ad Eucharistiæ consecrationem unius Ecclesiasticæ disciplinæ vim præsefert. Standum itaque divinæ jussioni, et licite Sacerdos non jejunus poterit celebrare, ut infirmus sacram Synaxim recipiens in eo periculo omnium sane maximo roboretur.

IV. Scio Eminentissimum Gotti *Quæst.* 14. quem nonnulli magni nominis Theologi sequuntur, pro aris, et focis oppositam sententiam propugnavisse. Contendit quippe Clarissimus Auctor, Præceptum sumendi Viaticum in mortis articulo non divinum esse, sed solummodo Ecclesiasticum, quod probare nititur ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, qeæ publicis Pœnitentibus constantissime Communionem denegabat etiam in extremo Vitæ periculo, si nondum Canonicam pænitentiam adimple-

plevissent. Sane Ecclesia id prohibere nequaquam potuisset, si revera Eucharistiæ receptio in mortis periculo divinitus foret imperata. At Eminentissimi Scriptoris pace dixerim doctrinam asserentem præceptum sumendi Viaticum in mortis articulo non esse divinum, sed mere Ecclesiasticum, doctrinam inquam hujusmodi inauditam esse, totique antiquitati, et rationi adversantem.

V. Concilium Nicænum primo loco superius laudato Consuetudinem præbendi Viaticum infirmis appellat institutionem divinam, mandatque sub anathematis pæna, ut scrupulose servetur. Declarationem Nicænam sequuta sunt posteriora omnia Concilia usque ad Tridentinum. Adversus Presbyteros, et Parochos, veluti adversus divini juris læsores severiores Canonum pænæ infligebantur, si ipsorum oscitantia accidebat, ut infirmus sine Viatico occumberet. Patres, et Theologi, ne uno quidem excepto, in eamdem sententiam uniformiter conspirarunt. Inaudita igitur est, nimiamque sapit novitatem Eminentissimi Gotti doctrina asserens non ex divino præcepto, sed ex Ecclesiæ disciplina institutum esse, ut infirmi Viatico reficiantur.

VI. Sed urgeamus ulterius: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis non habebitis vitam in vobis*. En præceptum divinum. Sciscitor nunc quando huic præcepto præsertim satisfaciendum sit? Dum bene valemus? Optime quidem. At contendo necessitatem hanc infinities urgere dum in mortis agonem dejecti, et dum inferi portæ omnes

suæ

suæ calliditatis vires intendunt, sicque de æterna Vita periclitamur, ut verbis Concilii Tridentini utar.

VII. Sed liberaliter cum Eminentissimis Scriptoribus agendum est. Do itaque Præceptum sumendi Viaticum Ecclesiasicum esse, quomodo ecclesiasticum est præceptum de servando jejunio. Atqui, ajo, Ecclesia dispensat præceptum de jejunio servando, ut infirmi Viaticum recipiant; Ergo lex de servando jejunio locum cedit ex Ecclesiæ intentione Præcepto de Viatico sumendo: Subsumo: Atqui juxta Scholarum omnium Axioma: Correlativorum eadem est vis, idemque nexus; Ergo si Infirmi a jejunio dispensantur, ut Viaticum sumant, dispensantur quoque Sacerdotes, ut conficiant, consecrent, et ministrent.

VIII. At, inquiebat, Ecclesia antiquis temporibus Criminosos quosdam quamvis pœnitentes tempore mortis Communione privabat. Fateor et ego, et dico hanc praxim non totius Ecclesiæ, sed peculiarium dumtaxat, nempe Hispanicæ, Africanæ, et Gallicanæ fuisse, paucisque annis perdurasse. Eam enim Concilium Nicænum primum laudato loco solemniter condemnavit. Argumentis autem a privatis Ecclesiarum abusibus valedicendum esse sciunt trium dierum Theologi.

IX. Sed complectamur singula. Præceptum jejunii ante Eucharistiæ sumptionem Ecclesiasticum est. Necessitas vero sumendi Viaticum dum in mortis articulo versamur ex divina institutione derivatur. Præceptum Ecclesiasticum locum cedere debet

debet Mandato divino; Ergo jejunium impedire non debet, quominus Sacerdos celebret, et consecret, ut Viaticum Moribundo administret. Si quis aliter sentit, non subirascor, neque pertinaciter adversor. Hac enim de re Eminentissimum Gotti plures sequuntur, quin eorum opinionem Ecclesia improbaverit. Quare neque ego improbare possum. In oppositam sententiam ego indurui, eo dumtaxat animo, ut quid Ecclesiasticæ Traditioni, Theologicis principiis, et Conciliorum doctrinæ magis esset consonum breviter exponerem.

Disquisitio Quintadecima.

Hieronymus Pœnitentibus suis, qui nocte præcedenti conjugalem copulam habuere ad Eucharistiam accedere omnino prohibet.

Quæritur: Num talis praxis sit adprobanda?

RESOLUTIO.

I. ALterum Corollarium, quod ex præteritis Disquisitionibus necessasio nexu derivatur, est Casus præsens. Demonstratum quapropter fuit dispositiones, quæ ad tantum Sacramentum digne, atque utiliter recipiendum exiguntur, adeo antecellere dispositiones cæterorum Sacramentorum, quantum gratia ab Auctore ipsius in immensum superatur. Probet seipsum homo, ne cum Corpore

Digitized by Google

pore Christi judicium sibi manducet, et ne cum buccella Satanas ingrediatur. Inter dispositiones vero sunt nonnullæ, quæ ex hujus Sacramenti natura, atque dignitate requiruntur; Aliæ vero, quæ ex ecclesiastica disciplina expostulantur, Status gratiæ, Fides de corde puro, et conscientia bona, Spes, quæ non confundit, Charitas per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus nostris sunt equidem dispositiones, quæ hujus Sacramenti Majestatem necessario debent comitari. Ritus tamen, et ceremoniæ, Vestes, et Orationes, necnon naturale jejunium sunt ea, quæ subinde Ecclesia stabilivit, ut exterior quoque tanti Sacramenti cultus, et decus nitesceret. Talis erat disciplina illa, qua Christifideles communicabant, nempe, non flexis genibus, ut hodierna die, sed stantes, prono tamen capite, ac demissis oculis, concava manu, et sinistra dexteræ subjecta Christi Corpus suscipientes, Viri nudis manibus, Mulieres manibus linteo mundo coopertis, appellato per hoc *Dominicale*. Quæ disciplina, si creditur Mabillonio, in Ecclesia Romana ad Sæculum sextum usque perduravit, in quo Rothomagense Concilium sancivit, ut nulli Laico, aut Feminæ Eucharistiam in manibus ponant (Sacerdotes), sed tantum in os ejus.

II. Nunc ad Casus decisionem, ut gressum proximius faciamus, opere pretium est. D. igitur Hieroymus, cujus Nomen in casu usurpavi, in Tractatu super S. Pauli Epistolam ad Corinthios hoc sibi dubium proponit. Eo in loco Paulus

lus hæc scripsit : *Nolite fraudare invicem , nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi*. Et paulo infra postquam ad Virginitatem servandam hortatus fuerat, addit: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*. Hæc D. Pauli Dogmata interpretatus S. Hieronymus, ita expositum casum resolvit. Paulus ad continentiam hortatur, ne impediantur Orationes vestræ: Si per coitum conjugalem, quod minus est impeditur, idest orare; quantoplus, quod majus est, idest Corpus Christi prohibetur accipere? Sed dicet aliquis, pergit S. Doctor: Durus est hic sermo: Et quis sæcularis hoc sustinere potest? Respondeo, inquit: qui potest sustinere, sustineat; qui non potest, ipse viderit. Nobis curæ est non quid unusquisque possit, aut velit; sed quid Scripturæ præcipiant, dicere.

III. Hieronymi nostri Decisionem sequuti sunt Patres omnes, prout conspicere possumus apud Augustinum. *Serm. 3. de Tempore*, et in Canone III. Concilii Elibiritani; necnon ex constanti omnium Ecclesiarum praxi, quæ præcipiebat, ut omnis homo ante sacram Communionem a propria Uxore tribus saltem diebus abstineret. Hinc S. Carolus in suis Instructionibus Tit. de præpar. Corporis ad Communionem inquit: *Christi Ministri in Conjugatis hoc amplius animadvertant; cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos se-*

rio

Digitized by Google

rio admoneant tanto magis ob debitam Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum. S. Franciscus Salesius *p. 3. Cap. 25.* scripsit : *Conjugatos non decere quo die Communionem sumpserint, quamquam id grave malum non sit, debitum petere conjugale.* Et Cathechismus ex Decreto Concilii Tridentini jussu Pii V. editus *Part. 2. Sect.* 58. hæc habet : *Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui Matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu Uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propositionis a Sacerdote accepturus esset, purum se, et pueros suos ab Uxorum consuetudine tres ipsos dies professus est.*

IV. Neque quis objiciat hanc praxim disciplinarem esse, quæ proinde ex disciplinæ mutatione antiquata fuit. Qui hæc opponeret, facillime revinci posset a se non intelligi quid disciplinæ nomine veniat. In Exordio consulto sejunxi dispositiones, quas tantum Sacramentum exposcit ex sui natura; et illas, quas ex Disciplina exflagitat. Quæ ex Disciplina requiruntur, sunt Ritus, tempus, Vestes, Orationes, Jejunium; quæ sane ex mente Ecclesiæ dependent, mutatisque temporibus sæpe permutata fuere. At permutari nequeunt, quæ ex natura Sacramenti requiruntur. Continentiæ observantiam hujusmodi esse contendo. Et sane, quæ tantum Sacramentum in figura præcesserunt continentiam ab Uxoribus imperabant, prout de panibus propositionis in Scriptura legimus. Christus virginitatem adeo dilexit, ut non modo ipse Virgo fuerit, sed Matrem quoque

que Virginem esse voluerit inaudito portentu. Miracula autem hujusmodi Deus nunquam facit, si necessitas non urgeat, ut Theologia demonstrat. Continentiæ igitur observantia non disciplina est, sed necessitas; non ex hominum placitis derivatur, sed ex Sacramenti natura, et dignitate, quæ cum eadem semper sit, atque immutabilis, immutabilis quoque est Continentiæ dispositio. Falluntur itaque vehementissime, qui hanc dispositionem non exigunt, et antiquatam volunt. Concilia, et Patres eam inculcarunt semper, iisdemque vocibus nunc quoque inculcant, quomodo conspicere possumus loco cit. Cathechismi Concilii Tridentini.

V. Ast dicet aliquis: Quid practice faciendum? Matrimonii consumatio aut nullomodo peccatum est, aut ad summum est dumtaxat veniale, si nempe fiat ex libidinis impetu. Peccata autem venialia sacram Communionem non impediunt. Ergo nec conjugalis coitus. Secundo: si Conjugati post Matrimonii usum nocte præcedente habitum communicare prohibeantur, quinam communicandi erunt?

VI. Respondeo: Futilia omnino sunt ista, si ad Sanctuarii stateram appendantur. Fateor Matrimonii usum ex libidine habitum peccatum veniale esse. At iterum iterumque nego peccata venialia impedimentum non esse ad sacram Eucharistiam recipiendam. Peccata læthalia Communionem efficiunt sacrilegam. Venialia vero, et præsertim ex libidinis scaturigine emanantia purissimi

mi hujus Sacramenti fructus omnes penitus exterminant, ut superius invicte demonstravi.

VII. Sane certum est Fideles plerosque sæpius in mense, ac in Hebdomada communicare. Certum quoque est mores meliores non fieri; Sed infirmi iidem, ut cum Paulo loquar, iidem imbecilles, et dormiunt multi. Unde paradoxon repetendum? Sacramentum suapte natura efficacissimum est. Cur igitur non sanantur Fideles? *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, jubet Spiritus Sanctus. Peccata venialia, quæ contemnuntur, sunt vulpes parvulæ, quæ præsertim Eucharistiæ fructus omnes demoliuntur. Non præcipiendum, sed iterum, iterumque hortandum, ut ab hisce Fideles abstineant, atque ita veris propositionis Panibus vescantur.

Disquisitio Sextadecima.

Laymannus Confessarius animadvertens Præceptum præviæ Confessionis datum esse a Tridentino non Laicis, sed Sacerdotibus mortalis culpæ consciis, et celebrare volentibus; solet præsertim in magno Pœnitentium concursu plerosque non audire, sed jubere, ut contritionis actum eliciant, et omnes communicent. Insuper cum incumbat ipsi onus satisfaciendi Capellaniæ peccatum reservatum habet. At copia Confessarii deesse videtur; Nam Confessarius vicinior tribus milliariis distat, qui tamen facultate caret absolvendi a reservatis. Quare celebrat non præmissa Confessione.

Quæritur. 1. Quid dicendum de Laymanni theoria, et praxi erga Laicos in uſum poſita? 2. An copia Confeſſarii ipſi vere defuerit? 3. An habuerit defacto celebrandi neceſſitatem? 4. Denique quando confiteri debet, ut Canoni Tridentino ſatisfaciat de confitendo quamprimum?

RESOLUTIO.

I. NUllum equidem Catholicæ Religionis Dogma tot, tantiſque bellis diuturnitate, atque hoſtium multitudine atrociſſimis, inferi Portæ divexarunt, quam Auguſtiſſimum Corporis, et Sanguinis Domini Sacramentum. Cum enim in eo beneficentiſſimus Deus nimiæ ſuæ Charitatis, Omnipotentiæ, atque Divitiarum ſuarum Theſauros ſuos Nobis penitus exhauriſſe videatur; ita quoque ex adverſo antiquus ille tortuoſus ſerpens, qui dicitur Sathanas, ſeducens univerſum Orbem omnes malignitatis verſutiæ, invidiæque ſuæ nervos intendit, ut excellentiſſimum hoc Dei Donum fieret Hominibus petra ſcandali, et ſignum, cui contradiceretur. Sæculo decimo quinto Aquilonares Novatores Lutherani, et Calviniani claſſicum undequaque adverſus Euchariſtiam cecinere exitu equidem infando, et nunquam ſatis lacrymabili. Saxonia, Belgicum, Svecia, Dania, et Anglia, pluresque aliæ Regiones ſacrilegæ doctrinæ vortice abreptæ ab unitatis catholicæ Petra irreparabili nunc quoque ictu diſciſſæ fuere. Hiſpa-

niam

niam, et Italiam Lutheranum fulgur pervadere nequivit; quippe quia Eucharistiæ Dogmata hisce in locis sarta tecta servavere Pastorum præsertim vigilantia, Virtus, Doctrina. Quid itaque fecit inimicus homo? Nempe inter bonum triticum superseminavit zizania. Nam Eucharistiæ veritatem subvertere non valens, laxissimas opiniones in scœnam invexit, quibus Catholici sacrilege communicarent, et judicium sibi manducarent, et biberent. Quapropter in foris, et in Gymnasiis a nonnullis propugnari tunc cæptum fuit ad dignam Corporis, et Sanguinis participationem necessariam non esse Sacramentalem Confessionem præsertim Sacerdotibus, qui ex officio celebrare debent; sed satis esse, ut Contritionis actus eliciatur.

II. At Tridentini Patres sæculo subsequenti Novatores Hæreticos omnium anathematum genere confixere. Laxas autem Catholicorum Doctorum Sententias de Celebratione Missæ absque prævia Confessione a Sacerdotibus facienda, qui lethalis culpæ conscii forent pluribus Decretis improbaverunt *Sess.* 13., ubi iterum, iterumque præcipitur, atque inculcatur, ut quilibet Sacerdos cebrare volens sacramentalem Confessionem præmittat, si mortalis culpæ sit conscius, dummodo adsit Confessarii copia. Sin autem necessitas urgeat, et Confessarius desit; Sacerdos post Missæ celebrationem quamprimum confiteatur.

III. Ex hac nitida, atque decretoria Concilii sententia quisque arbitratus foret Controversiam omnem inter Catholicos sublatam fuisse. At Spiritus

Digitized by Google

ritus nequitiæ ejectus a Domo, quam custodiebat; iterum in eam ingrediens secum ducit septem alios spiritus nequiores se, et fiunt novissima pejora prioribus. Hinc Laymannus, cujus nomen hac in Disquisitione usurpavi, in Libro, quem inscripsit: *Opus universam Theologiam Moralem complectens*: Decreta Tridentina de necessitate Confessionis præmittendæ ab iis, qui mortali culpa inquinantur, et Eucharistiam percipere volunt, tot, tantisque exceptionibus detorquet, atque interpretatur, ut eorumdem vigorem penitus enervet, atque difficillimum sit, casum aliquem excogitare, in quo Tridentinis Sanctionibus obtemperare teneamur. Laymanni interpretamentis subscripsere Tamburinus, Navarrus, Dominicus Viva, La Croix, Vasquez, de Lugo, aliique pene innumeri benignissimæ Moralis Scriptores.

IV. Itaque Laymannus Axiomatis loco ponit, Sanctissimos Legislatores semper velle, ac voluisse, ut subditi non obligentur sub peccato mortali. Hinc colligit: Primo: Nullam esse humanam Legem sub gravi obligantem: Secundo: Decretum Tridentinum de præmittenda Confessione ante Eucharistiæ celebrationem, esse Legem humanam, et Tridentinos Patres fuisse Legislatores Sanctissimos; noluisse proinde obligare sub mortali, sed ad summum sub veniali culpa. Tertio: Decretum hoc esse non Præceptum, sed Consilium; Nam non obligat sub gravi culpa.

V. Hisce demonstratis, ut ipse jactat, Tridentini Verba subtilissime interpretatur. Observat

Digitized by Google

vat primo: De Laicis communicare volentibus ne Verbum quidem unum apud Tridentinos Patres; hinc colligit, neque sub veniali culpa, Laicos mortalis sceleris reos teneri Confessionem præmittere antequam communicent, sed satis esse, ut contritionem eliciant. Secundo: Sacerdotibus confitendum esse, cum adest Confessarii copia. Copia autem hæc intelligitur cum plures sint Confessarii, apud quos sine ullo itineris incommodo, et nulla populi admiratione Sacerdos confiteri queat. Tertio: Eadem ratione intelligenda esse Concilii Verba, nempe, quod si urgente necessitate, Sacerdos sine prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur: necessitatem vero urgentem appellat Laymannus suspiciones, murmurationes, ideoque infamiæ periculum, in quod certo illaberetur Sacerdos, qui Missæ celebrationem contra suam consuetudinem omitteret, aut si nollet celebrare, nisi antea confiteatur. Necessitas autem hæc evadit maxima, si celebrare teneatur, ut oneri alicujus Capellaniæ satisfaciat. Denique ea Verba *Quamprimum confiteatur* sic explicat Laymannus noster: Quamprimum tenetur Sacerdos confiteri, idest, cum primum celebrare iterum voluerit: Unde si per unum, aut alterum Mensem a celebratione abstineat, toto eo tempore confiteri non tenetur. Hæc veluti de charta in papyrum transcripsi, tum ut huic Disquisitioni satisfacerem, tum etiam, ut ostenderem, quod sæpe monui, immensa penitus intercapedine distare Ecclesiæ Moralem ab ea, quam privatorum Docto-

Digitized by Google

Doctorum turba ex cœnosis humanæ Sapientiæ cisternis pollicetur.

VII. Sanctuarii itaque lapide, qui a Domino factus est in Caput Anguli, omnia breviter examinemus. Summus Pontifex Alexander VII. inter alias binas condemnavit propositiones, nempe: Prima: *Mandatum Tridentinum factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum est Consilium, non Præceptum*. Altera: *Illa particula quamprimum intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Pontifex vero ven. Mem. Innocentius XI. hanc aliam proscripsit asserentem: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tamen Confessos, ratione magni Concursus pœnitentium, qualis contingere potest in die magnæ festivitatis, aut Indulgentiæ*.

VII. Vehementer itaque falluntur Laymannus, ejusque Proseliti asserentes Tridentinos Patres noluisse sub gravi culpa obligare Sacerdotes, ut ante Missæ celebrationem confiteantur, si lethalis culpæ reatu inquinentur. Falluntur quoque, dum docent particulam: *Quamprimum confiteantur*: non significare sollicitam Confessionem, sed commodum tempus diei quoque, et Mensis. Denique falluntur, dum contendunt posse Laicos solius contritionis ope, et omissa Confessione, ad Eucharistiam accedere. Si enim sacrilegum est, Eucharistiam sumere dimidiate confessos, quo enormius erit scelus, si communicent integra Confessione penitus prætermissa?

VIII. At inquit Laymannus, Tridentina Sanctio

ctio solos Sacerdotes memorat; Laicos autem silet; Respondeo: Sacerdotes solummodo memorari, quia de solis Sacerdotibus tunc temporis erronea doctrina circumferebatur. Laicos vero fuisse prætermissos, quia nulla de iis Quæstio emerserat, et unanimis erat tunc Scriptorum Sententia, et praxis; nempe, Laicis confitendum esse, antequam Eucharistiam perciperent. Juxta autem Conciliorum æconomiam Patres eos dumtaxat errores exterminant, qui actu serpunt, atque grassantur; illos autem prætermittunt, qui nondum prosiluere. En hujus reticentiæ motivum. Tam enim Sacerdotes, quam Laici divino jure tenentur probare semetipsos, ne judicium sibi manducent, et bibant.

IX. Consequitur denique sacrilege Laymannum celebravisse. Confessarii enim copia vere adfuit. Nam iter trium milliariorum a Laymanno peragendum, ut Confessarium assequatur, est perridiculum impedimentum, quo Confessionem prætermitat. Nonne præceps Laymannus difficilius quoque arriperet iter, si Corporis vita, aut fortunæ bona improviso casu periclitarentur? Ad cavendum itaque sacrilegium malum infinities majus incommodum itineris trium milliariorum motivum sufficiens arbitrabitur?

X. Neque obstat, quod Confessarius hac potestate careat absolvendi a reservatis. Nam in casu, in quo necessitas urgeat celebrandi Missam potest Confessarius simplex absolvere a reservatis, adjecto onere, ut Laymannus quamprimum sese

præ-

præsentet Confessario, qui facultate in reservata potiatur, quomodo de reservatione pertractantes ex Ecclesiæ intentione demonstrabimus. Si enim ad vitandam infamiam Ecclesia vult, ut complex complicem absolvat in mortis articulo; quanto magis ad vitandum sacrilegium urgente necessitate celebrandi Missam poterit simplex Confessarius a reservatis absolvere; quilibet enim Ecclesiasticæ potestatis usus ex intentione Christi, et Ecclesiæ est in ædificationem, nunquam in destructionem, ut monet D. Paulus. Dum igitur Ecclesia peccata reservat, necessitatis Casus excludit, eos nempe, in quibus reservationis usus fieret animarum laqueus, et graviorum peccatorum scaturigo.

XI. An vero necessitas fuerit, ut Laymannus celebraret, et oneri Capellaniæ satisfaceret, ingenue fateor motivum satisfaciendi Capellaniæ ineptissimum esse. Expedit enim magis obedire Deo, quam hominibus, inquit Petrus. Si offers munus tuum ad Altare, et recordatus fueris, quod Frater tuus habet aliquid adversus te: relinque ibi munus tuum ante Altare, et vade prius reconciliari Fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Est decretorium Christi Domini Oraculum. Si ergo Sacrificia omittenda sunt, ut Fratri reconciliemur, quo magis erunt prætermittenda, ut cum Christo Domino nostro pacem habeamus?

XII. Ast quid dicendum si Laymannus sit unus ex illis pauperibus Sacerdotibus, qui quotidiana eleemosina vivunt? Respondeo: Quid dicendum si Laymannus jejunus non sit, nempe,

si

Digitized by Google

si casu summo mane aliquid vel ederit, vel biberit? Quid si inopinato viscerum dolore perculsus lectulo hærere cogeretur? Equidem non celebrabit. Ejus igitur paupertas, necnon scandali periculum sunt puerorum terriculamenta, et larvæ, quibus sacrilega conscientia obtegitur, sunt verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

XIII. Quid igitur nunc faciendum Laymanno remanet, qui jam celebravit? Quamprimum confiteatur ex Tridentino Præcepto. Sed quid temporis punctum ab ea particula *Quamprimum* stabilitur? Ajo: Eam temporis festinantiam, atque celeritatem imperari, quæ in periculosioribus, et delicatioribus vitæ negotiis adhiberi solet. Ægrotus es: Et ex Medici consulto venam quamprimum secare, et sanguinem educi juberis. Nonne si Chirurgus adsit, illico et venam ferro reseras, et sanguinem effundis? Sin autem Chirurgus non sit præsens nonne illico famulos, amicosque exflagitas, ut citissime adveniat? Ita Controversia apud Judices agitatur, a cujus exitu tuorum prædiorum dominium pendet. Advocatus te monet, ut quamprimum in sui domum advenias. Nonne statim Amicos, solatia, ipsumque prandium derelinquis, ut Advocatum colloquaris? Anima pluris facienda est, quam Corpus. Igitur si non majori, saltem æquali celeritate Laymannus Confessarium adeat, atque ita faciens Tridentino Canoni vere obsequetur. Si diem differat, non video qua ratione a gravissimæ inobedientiæ crimine queat excusari.

XIV. In-

XIV. Inquiet aliquis : Durus est hic sermo, et rigiditatem sapit. Ajo equidem durus, et rigidus delicatulis Christianis, qui conversionem sibi fingunt facilem, suavemque non in planctu, et jejunio, non in toto corde suo, neque in tota tribulatione Animæ suæ. Qui ad sui commodum, et placitum volunt conversionem differendam, qui nolunt quærere primum Regnum Dei, et justitiam ejus, uno verbo, qui nesciunt Pœnitentiam esse Baptisma laboriosum omnibus peccatoribus summopere necessarium, sed præsertim Laymanno Sacerdoti, qui ex indigna Corporis, et Sanguinis sumptione judicium sibi manducavit, et bibit.

IN MISSÆ STIPENDIUM.

Disquisitio Prima.

Sophronius plura stipendia pro totidem Missis celebrandis accipit, quibus unica Missa satisfacere præsumit; hisque rationibus sese tuetur. 1. Quia valor Missæ est infinitus, ideoque perinde est si uni, ac si millenis, et millenis applicetur. 2. Quia consuetudinem applicandi Missam peculiari Personæ vetustis Ecclesiæ sæculis incognitam recens disciplina invexit. Ecclesiastica autem disciplina non obligat cum gravi incommodo, quod sane ipse cum paupertimus sit ferre cogeretur, si unicum stipendium in quolibet die perciperet. 3. Quia Alexander VII. dum

dum propositionem decimam condemnavit, abstinuit a circumstantia paupertatis, in qua Sempronius versatur.

Quæritur Horum omnium examen.

RESOLUTIO.

I. SOphronii doctrina, ejusque rationes impia fuerunt Wiclefi Dogmata a PP. Constantiensibus *Sess.* 8 primum, deinde ab Alexandro VII. propositione decima repetito anathemate confossa. Valor Missæ est infinitus, quomodo infinita est virtus cujuscumque Mysterii, quod Christus Dominus instituit. Cujuslibet Sacramenti ope infunditur Charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Spiritus est Deus, et Deus charitas est. Num itaque quia Spiritus Sanctus est infinitus, charitatem quoque infinitam animabus nostris Sacramenti ope elargitur? Si ita foret, jure Calvinus habitum charitatis inamissibilem propugnavit. Nam Charitas infinita est dilectio, fortis sicut mors, et dura sicut infernus æmulatio; quæ sane nullis hominum fraude, et arte abrumpi queunt.

II. En distinctionis theologicæ necessitas, qua Sacramentorum Auctor, et Substantia ab eorum effectibus secernuntur. Auctor, et Substantia semper infinita sunt; at effectus semper finitus. Hujusmodi distinctio non est papisticæ metaphysicæ subtilitas, et commentum, sed catholicum dogma,

dogma, quod ab Apostolis, et ab ipso Jesu Magistro nostro accepimus. Apostoli quotidie Eucharisticum Sacrificium immolabant, prout suo loco invicte demonstravimus. Jesus Salvator noster, qui pro nobis non modo passus, sed natus quoque est, non solum in Ara Crucis semetipsum obtulit, sed etiam in ultima Cæna, et toto tempore, imo quolibet vitæ suæ momento, et semet, et quamlibet sui actionem in remissionem peccatorum Patri suo immolavit. Si quomodo Victima, ita quoque effectus infinitus foret, nos per unicam oblationem in æternum sanctificati, et infinito infinitæ charitatis habitu repleti, nulla cæterorum Sacramentorum necessitate urgeremur, et Christus Dominus repetitis suimet Sacrificiis nihil nobis dare potuisset amplius, cum fieri nequeat, ut Charitas absolute infinita augeatur. En primum vitium, quo doctrina Sophronii fæde laborat: Ulterius itaque progrediamur.

III. Ecclesia, ut docet Apostolus, est Corpus mysticum, in quo non omnes Pastores, sed ii dumtaxat, qui a Deo vocati sunt tamquam Aaron. Petro primum, et in Petro Romano Pontifici, deinde Episcopis, quos quoque cum Petro constituit esse Pastores, dixit Jesus *Pasce Oves meas. Qui vos audit, me audit*. Episcopi, Romani Pontifices declararunt ex Apostolica traditione, ut supra demonstravi, non posse unica Missa pluribus distinctis oneribus, et stipendiis acceptis satisfieri. Perduellis est itaque Sophronius adversus legitimam Pastorum, et Ecclesiæ authoritatem.

IV. At

IV. At inquit Sophronius, usus applicandi Missam uni privatæ Personæ vetustis Ecclesiæ sæculis incognitus fuit. Respondeo: Incognitus fuit quoad applicationis substantiam, nego: Quoad circumstantias quasdam, quas ad abusus extirpandos Ecclesia decrevit, fateor. Primo enim Ecclesiæ sæculo, ut pluribus monumentis demonstrat Baronius ad ann. XLIV. dum Sacrificium Eucharisticum peragebatur, Fideles prope Altare Oblationes panis, et vini, aliarumque rerum, quæ Sacrificio, et Sacerdotibus necessariæ forent, deferebant, ut Sacrificii fructum participarent. Fructus hic, quem percipere Offerentes volebant, certe non erat ille, qui ad universam spectat Ecclesiam, et quem omnes participabant, qui a communione catholica non erant sejuncti. Neque pariter erat ille, qui absque Sacerdotis devotione dividi nequit. Erat igitur alterius generis fructus, quem fideles Oblationibus suis peroptabant, et qui veluti jure summo solis Offerentibus applicabatur. At cum ex persecutionum immanitate fideles raro congregari possent, et Sacerdotes clam in privatis domibus, in Cryptis, et nemoribus celebrare cogerentur, plerumque eveniebat, ut offerentes pauci essent, aliquando una privatæ Domus familia, sæpe unus, aut alter; et tunc totus Offerentium fructus a sola Familia, vel a duabus, vel etiam ab una dumtaxat persona participabatur. En applicationis Origo in ipsis Ecclesiæ incunabulis. En triplicis fructus Dogma, nempe fructus universalis, qui ad communionem Sanctorum, nempe

Digitized by Google

pe ad Fideles omnes extenditur: Fructus specialis, qui ad solos Offerentes pertinere potest: Fructus denique specialissimus, qui piam Sacerdotis dispositionem necessario consequitur. Falsa est itaque secunda Sophronii assertio, qua consuetudinem applicandi Missam privatis Personis incognitam primis Ecclesiæ Sæculis propugnat.

V. Hinc apprime deducitur, Primam Sopfronii rationem esse Wiclefi Theorema a Concilio Constantiensi damnatum. Valor enim Missæ infinitus quidem est, si victimæ dignitatem spectamus. At si effectus habeatur ratio, est finitus, et ab animi dispositionibus dependens. Hæretica est proinde Assertio docens effectum unius Missæ eumdem esse si uni, vel si millenis, et millenis applicetur.

VI. Secunda etiam ratio falsitatis, et inscitiæ revincitur. Consuetudo enim applicandi Sacrificium Eucharisticum ab ipsa Sacrificii natura profluit, et ab ipsis Apostolis, et Apostolorum Discipulis in ipso Ecclesiæ exordio consecrata fuit, ut ex ecclesiasticis monumentis superius invicte demonstravi. Cum igitur ex natura Sacrificii derivetur, et ab Apostolis ad nos usque uniformiter servata fuerit, non est disciplinæ ecclesiasticæ cæremonia, sed juris divini dogma, a cujus observantia nullo incommodo dispensari potest. Ipse dolet, quod pauperrimus sit. At cogitet D. Pauli monitum. *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*: Necnon Jesu nostri promissionem, *Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*.

VII. Ter-

VII. Tertia tandem ratio est hominis excuſantis excuſationes ſuas in peccatis. Propoſitio enim decima ab Alexandro VII. damnata est iſta: *Non est contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione per juramentum firmata Danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Igitur duplex stipendium accipere vetuit Alexander VII. in quacumque circumstantia, et in caſu quocumqne. Cumque nonnulli Theologi arbitrarentur Sacerdotem poſſe alterum stipendium accipere, applicando fructum specialiſſimum, hanc quoque opinionem condemnavit, ut ita propoſitio ad omnes poſſibiles caſus condemnata intelligeretur.

VIII. Sophronio itaque adhærendum non est, quippe qui ipſe graviſſime contra juſtitiam, et fidelitatem peccavit; ideo ad reſtitutionem tenetur. Hæreſis quoque ſuſpectus est, cum ſaltem praxi eam doctrinam ſecutus ſit, quam Wiclefus obſtinate docuit, et quam veluti hæreticam Patres Constantienſes, et Romani Pontifices condemnavere.

Disquiſitio Secunda.

Creſus Sacerdos paternis bonis ditiſſimus cum perlegerit Miſſarum stipendia ex Canonicis Sanctionibus concedi Sacerdotibus in vitæ ſustentationem, quærit a ſuo Confeſſario, an ſibi eadem percipere liceat.

Quæritur Confeſſarii Conſilium.

RESOLUTIO.

I. APplicationis Missæ in ipsis Ecclesiæ incunabulis originem superiori in Disquisitione observavimus; nunc descendamus oportet ad observandam hujusmodi applicationis quoad circumstantias mutationem, quæ diversis temporibus diversa fuit. Quarto Ecclesiæ sæculo persecutionibus fine tandem imposito, et Christianæ Religioni reddita pace Templa undequaque Christi nomine cæpere, et a Fidelium pietate, et præsertim a Principibus, et Imperatoribus argento, auro, gemmis, et amplissimis redditibus locupletari. Hinc non amplius pane, et vino, minutisque id generis rebus Ecclesiæ, et Sacerdotes indigebant. Eadem itaque offerre supervacaneum evasit. Quapropter Fideles, ut fructum specialem, seu Missæ applicationem perciperent, cum panem, et vinum offerre nequirent, nummos largiebantur, quos in communem quamdam Capsellam injiciebant. Capsula hæc aut muro in Ecclesia affixa erat, aut a Clerico per Ecclesiam Offertorii tempore deferebatur, singulisque adstantibus exhibebatur, ut in eam nummos pro libitu immitterent; atque ita applicationis fructum participarent. Nummi ita collecti, aut ad majorem Ecclesiæ ornatum, aut in pauperum, et infirmorum subsidium impendebantur.

II. At avaritia illa, quæ Christi Discipulum proditorem fecit cito Sacerdotibus illius ævi dominari cæpit, effecitque, ut Sacerdotes potentiores col-

collectas pecunias sibi dividerent in prophanos usus deinde consumandas ; Et Sacerdotes pauperes inopia , et fame languescerent . Ut tot malis nonnulli Episcopi occurrerent diversa adhibuere remedia . Præcipuum quod invaluit fuit , ut eleemosinarum Capsulæ pro Missis celebrandis omnino tollerentur , et ut qui vellet Missæ applicationem , eleemosinam , seu stipendium peculiari Sacerdoti daret , qui postea Missam applicare teneretur juxta mentem illius , qui stipendium elargitus erat . En stipendiorum Origo , et necessitas . In exordio stipendiorum usus apud paucas Diœceses locum obtinuit : Sæculo octavo summopere excreverat . Sæculo denique decimo tertio universa Ecclesia eumdem amplexata est .

III. His in antecessum positis dicimus Cresum licite posse Missarum stipendia percipere , quamvis iisdem non indigeat . Enim vero etsi , ut supra observavimus, stipendia taxata fuerint in gratiam Sacerdotum pauperum ; Attamen divites excepti non fuere , nisi in eo casu , in quo Sacerdotes pauperes Missas applicandas habere non possent , si divites stipendia acciperent . Et hic est sensus, quo nonnulli peculiarium Ecclesiarum Canones sunt intelligendi . Dixi Ecclesiarum peculiarium , quia nunquam Canones hujusmodi ab Ecclesia universali fuerunt recepti .

Disquisitio Tertia.

Viva undequaque magnum Missarum celebran-

darum numerum colligit, quos deinde nonnullis Sacerdotibus distribuit, parte tamen stipendii sibi retenta in compensationem laborum, quos in earumdem collectione ferre debet.

Quæritur: Num id sibi liceat?

RESOLUTIO.

I. QUamvis ex stipendiorum consuetudine mala omnia exterminata fuerint, quæ ex communibus pecuniaribus oblationibus exoriebantur; ut in superiori Disquisitione observavimus; tamen alia fortassis non pejora superseminavit inimicus homo. Nonnulli Sacerdotes enim de applicatione Missæ ita paciscebantur, quomodo de prophana mercium emptione, et venditione pacisci quis solet, et Missæ celebrationem functionum omnium sanctissimam simoniaca labe conspurcabant. Alii Missas celebrandas undique colligebant, quas deinde Sacerdotibus indigentibus minori stipendio consignabant, et Proxenetas, vulgo *Sensali* imitabantur, ut ratione laborum, et expensarum in colligendis Missis lucrarentur.

II. Ut ab electo tritico perniciosissimum hoc zizanii genus cito convelleretur, Concilia, et Romani Pontifices plura Decreta edidere, pluresque propositiones condemnarunt. Quapropter Urbanus VIII. Simoniacum declaravit pactum quodcumque; quod ultra, vel præter taxatum stipendium perageretur, prohibuitque sub excommunicationis pœna

na quodlibet lucri, et mercimonii genus. Ac Alexander VII. hanc nonam proscripsit propositionem: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Denique Benedicti XIV. Constitutione 22. sub pæna Censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, prohibentur Mercimonia super eleemosina Missarum, ita ut, qui eleemosinas colligunt iis in Locis, in quibus stipendia sunt majoris pretii; Missas vero celebrari curant in Locis, in quibus pro minori pretio celebrari solet: Si Laici sunt excommunicationem: Si vero Clerici, vel Sacerdotes, suspensionem a solo Romano Pontifice absolvendam incurrant.

III. Viva igitur in casu si Laicus est in excommunicationem, si Sacerdos in Suspensionem Romano Pontifici reservatam illapsus est ex repetitis Conciliorum Decretis, necnon ex Constitutione Benedicti XIV., quam retulimus, et in qua sub censurarum pæna semper cujuscumque generis mercimonium in Missarum stipendiis prohibitum fuit.

Disquisitio Quarta.

Plautus dat stipendium Titio Sacerdoti, ut Missam celebret in gratiarum actionem Deo pro accepto beneficio. Alterum stipendium eidem largitur

Sem-

Sempronius, ut celebret Missam ad obtinendam remissionem peccatorum.

Quæritur: Num Titius possit utrique oneri per unicam Missam satisfacere, applicando nempe Plauto fructum Eucharisticum, et Sempronio fructum propitiatorium, præsertim cum in Decreto Alexandri VII. sola fructus specialissimi applicatio prohibeatur?

RESOLUTIO.

I. CAsus iste reseratum ostendit arcanum illud, de quo jure meritoque dolemus: nempe quo fato fit, ut in quolibet Moralis Disciplinæ Capite; et præsertim in Missarum applicatione tot, tantæque inter sese oppositæ scribantur, et circumferantur opiniones. Tanti mali causa est, quod quilibet Scriptor non arbitratur sese dispensatorem, Ministrum, et Servum esse; sed Dominum, Despotem, et Legislatorem. Apostoli ajebant: *Quod a Spiritu Sancto audivimus, annuntiamus Vobis: Quod visum est Spiritui Sancto, Vobis scribimus*. Nostri ævi vero Doctores plerique inconsulto Spiritu Sancto id scribunt, et annuntiant, quod propria doctrina superbiens repræsentet. Maneat igitur nobis alta mente repositum nos Servos esse, et Dispensatores; Ecclesiam esse Dominam, et Magistram; Et tot opinionum monstra evanescent.

II. Hisce principiis dicimus Titii theoriam in laudata Alexandri VII. propositione, quæ erat: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Mis-*

Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem; anathemate confossam esse. Divisio quapropter fructus Eucharistici, et fructus propitiatorii arbitraria est, et Ecclesiæ incognita; Igitur aut hæresis est, aut hæresis suspecta. Est quoque temeraria, et præsumptuosa. Quis enim, nisi temere Sacramentorum fructus, et dona Sancti Spiritus in partes secare audeat, atque decernere, ut hæc pars uni, altera alteri donetur? Nonne scriptum est, Spiritus spirat, ubi vult, quomodo vult, et quando vult? Respondeat Titius, et una simul omnes ipsius asseclæ, Missam celebrans est ne Dominus Mysteriorum Dei, aut Minister, Servus, et Dispensator? Si Dispensator, Servus, et Minister; tenetur ergo et Sacramenta conficere, et Missas applicare non arbitrio suo, sed juxta voluntatem Domini, quam voluntatem Sponsa ejus Ecclesia nobis sequendam proponit.

IN POENITENTIÆ SACRAMENTUM

Disquisitio Prima

Mævio extreme laboranti occurrit Confessarius; Sed adeo vi morbi Mævius de repente opprimitur, ut incapax sit nedum ad sua patefacienda delicta, verum quoque ad præbendum aliquod doloris indicium.

Qua-

Quæritur: An valeat ipsi absolutionem impertiri, et quomodo?

RESOLUTIO.

I. AD æternam capessendam Salutem quemadmodum Baptisma nondum regeneratis est omnino necessarium; ita quoque illis, qui baptismalem amiserunt gratiam necessaria est Pœnitentia. Merito quapropter Sacramentum hoc a D. Hieronymo secunda appellatur post naufragium Tabula, et a cæteris Patribus scala, per quam in Cœlum ascenditur; Unicum peccatorum refugium.

II. Ut autem quis peccatorum suorum plenam, perfectamque veniam consequatur, necessariis debet esse fulcitus dispositionibus, quæ sunt Contritio, Confessio, ac Satisfactio. Per hoc quapropter Pœnitentia laboriosum adpellatur baptisma, conditionesque istæ quasi materia huius Sacramenti a Tridentinis Patribus stabiliuntur. Nihilo tamen minus potest aliquando sine Confessione confici Sacramentum; dummodo non ex pœnitentis voluntate proveniat. At sine contritione, nunquam omnino. Contritio enim aut perfecta, aut saltem imperfecta ad sacramentalem recipiendam absolutionem adeo necessaria est, ut sine ipsa, non Confessio, sed historica narratio, non Dei venia, sed abominium exoritur.

III. Hinc Moribundus triplici in Statu considerari potest: Vel quatenus est incapax sua confiten-

fitendi peccata; sed jam suæ voluntatis quoad Confessionem dedit indicium: Vel quatenus est incapax confitendi simul, ac dandi aliquod sui doloris signum, sed præbuit semper probatæ vitæ specimina: Vel tandem inhabilis est, et ad sua declaranda peccata, et ad suum manifestandum dolorem, et insimul neminem latet male vixisse. Conveniunt omnes Theologi primo in Casu impertiendam esse Moribundo Absolutionem, quia per præfata indicia subministrat materiam sufficientem ad obtinendam absolutionem, nempe, peccata in genere. In tertio Casu non esse absolvendum tenent fere omnes; quibus nos ducimus adhærendum, quia Iudex dare non potest sententiam reo, nisi accusatio explicita, aut per signa sensibilia præcedat. Magna existit difficultas inter Theologos de secundo Casu. Quidam enim defendunt non esse absolvendum, quia materiam non subministrat, supra quam pronuntianda sit absolutio: Alii vero docent absolutionis beneficio non esse privandum hujusmodi moribundum. Inter oppositas horum Theologorum sententias nos considerantes Ecclesiæ intentionem semper fuisse exponendi potius alicui periculo ipsamet Sacramenta, quam hominis salutem; secundam duximus amplexandam Sententiam; ac proinde dicimus, Mævium in casu fore absolvendum, si Christianæ vitæ specimina sufficienter præbuerit. Nec adversariorum ratio dubitandi locum nobis subministrat, quia probe noscimus Pœnitentis Actus non esse materiam intrinsecam Sacramenti Pœnitentiæ, ex qua conficiendum

Digitized by Google

dum sit Sacramentum; Alioquin nequidem Signa, quibus moribundus se velle confiteri indicaret, ad absolutionem impertiendam sufficerent; quod dubio procul est contra unanimem Theologorum doctrinam.

IV. Absolvendus utique est Mævius si christiane vixit. At quomodo? Absolute, vel sub conditione? Hic quidem difficultatis nodus existit. Nos, valedicto Merbesio, Gennetti, Henrico, aliisque, qui absolutionem sub conditione datam admittunt, , propensi essemus ad absolutionem semper absolutam conferendam defensandam: Sed cum Benedictus XIV. *lib 7. de Syn. Diæc. cap. 3. n.* 10. ita scriptum reliquisset: *Si vero nullo testimonio constet illum ante casum mortalis morbi signa doloris exhibuisse, et petiisse confessionem; adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christianæ vitæ totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, et contritionem exhibuerit; Et nisi sint præsentes actus pœnitentis per vitam illam antea christiane actam præcessisse dicendi essent, et tunc pro præsentibus haberi*: Ideo ob tot, ac tanti Viri acumen, doctrinamque, illis, qui absolutionem sub conditione in hujusmodi Casibus adhibendam esse defendunt, ambabus ulnis adhærendum esse censemus.

Disqui-

Digitized by Google

Disquisitio Secunda.

Ildegardem Monialem Juvenculus quidam inviſere ſolet, ac ad turpia allicere. Renuit illa hoc unico principio, videlicet, ob turpitudinem, quæ ſemper peccatum ſociat. Hinc de ſolis venialibus fere ſemper confitetur. Quamobrem Confeſſarius ne Sacramentum nullitati exponat, denegat ei abſolutionem, niſi de quodam lethali jam præterito ſe quoque accuſet.

Quæritur 1. *An Monialis hæc ſit culpabilis adjudicanda, eo quia abominatur peccatum ſimpliciter ob illius turpitudinem?* 2. *An Confeſſarii praxis ſit approbanda?* 3. *Quid de Juvene ſentiendum?*

RESOLUTIO.

1. EOquia peccatum est pestiferum illud monſtrum, immanisque bestia, quam Joannes in Apoc. Cap. 13. vidit *de mari ascendentem, habentem capita ſeptem, et cornua decem, et ſuper cornua ejus decem diademata, et ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ*; ac per consequens honestati, ac rationi contrarium; ideo natura ipsa, Tertulliano teste, hominum corda timore, infamia, ignominiaque perfudit, ceu potentissima repagula, ne laberemur in illud. Usque dum remansit hic timor, hicque pudor in Heva nostra Pro-Genitrice, perseveravit quoque apud ipsam et innocentia. Pessumdato vero timore, ac expulso pudore indito a natura per illam

illam Serpentis suasionem: *Eritis sicut Dii*, *scientes bonum*, *et malum*; repente peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors. Nonne revera sæculum istud culpæ fæcundum millena nobis subministrat exempla monstruosissima illarum Muliercularum, quæ proculcatis hisce propugnaculis, quibus provida natura illarum circumsæpit pudicitiam, spurcitiis omnibus se contaminare gloriantur?

II. Abominari igitur peccatum ut turpe idem est, ac illud abominari, ut naturæ rationali disconveniens. Atqui abominari, ut naturæ rationali disconveniens, implicite Deum respicit, qui ne illud committeretur prohibuit; ergo fieri non potest,quod abominari quis possit peccatum ob illius turpitudinem absque ullo ad Deum respectu. Si abominatio in sensu respicit Deum; ergo eadem peccatum esse dici non potest. Ejusdem enim rationis est quod peccatum sit contra ordinem rationis humanæ, et quod sit contra legem æternam.

III. Monialis igitur nostra non est culpabilis adjudicanda per hoc quod patrare renuat peccatum ob ipsius turpitudinem; secus esset adhærere Bajo, qui veritus non est asserere humanam omnem actionem deliberatam, quæ non sit dilectio Dei, esse peccatum; cujus errores inter cæteros Summus Pontifex Alexander VIII. proscripsit, propositionem sub numero IX. positam reprobando, quæ hisce terminis concepta erat: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo*

respe-

Digitized by Google

respectu ad Deum offensum. Ut culpabilis vero ex alio capite est adjudicanda, quamvis ei religio non sit quominus hasce visitationes prophanas admittat, nempe, et quia periculo peccandi se exponit, et quia familiaritatem nutrit proprio statui repugnantem.

IV. Secundo loco quæritur quinam dolor pro venialium Confessione sufficiat? Est quidem extra omnem dubitationis aleam, quod in Confessione quoque venialium dolor, atque propositum requiratur. Cum enim dolor, et propositum sint ad Sacramenti valorem partes necessariæ, quoties vult fieri Sacramentum, præmittendæ sunt hæ necessariæ conditiones, ne Sacramentum nullitati exponatur. Quapropter approbanda est hujus Confessarii praxis, quæ Moniali, ut de quodam lethali jam præterito se accuset, imponit. Cum enim Pœnitentes, qui sola venialia confitentur, speciatim illi, qui in eadem venialia semper impingunt, utpote quia persuasum habent illa suppliciis æternis non puniri, verendum est hos non tam facile de illis dolere prout oportet, nec propositum ipsis adesse cavendi ab illis. Porro simplex quicumque dolor, sive actualis non complacentia stare utique potest cum actuali peccato, aut cum voluntate saltem illud iterum perpetrandi: Atqui veniales quoque culpæ dum Ecclesiæ clavibus subjiciuntur doloris efficaciam exposcunt, emendationis propositum requirunt, sine quibus stare non potest Pœnitentiæ Sacramentum; ergo improbari non debet Confessarius, si ab hujusmodi Pœnitentibus exigat

Digitized by Google

gat pro absolutione, ut confiteantur quoque aliquod mortale ex vita anteacta, et super illud doloris excitent actum, ac emendationis propositum efforment, quia tali methodo deflectitur periculum nullitatis Sacramenti ob defectum sinceri doloris, et firmi propositi.

V. Hæc est generalis hujus quæsiti solutio. Verum vero, quia Pœnitentes illi, qui sola venialia habent non omnes eadem propensione in ipsa venialia ruunt; Confessariorum esse dicimus Pænitentum qualitates considerare, ut de illorum praxi rectum valeant efformare judicium. Aut enim Pœnitentens sunt ex iis, qui sæpius in lethalia prolabentes, raro autem de venialibus sese accusant; Aut ex iis, qui sobrie, juste, et pie viventes in hoc sæculo, semper, aut fere semper sola venialia exponunt. Si primi generis, improbanda utique non est Confessarii praxis, eoquia, ut certus moraliter fiat de sufficientia doloris pænitentis sui, nulla alia suppetat via, quam obligatio confitendi aliquod lethale peccatum. Si vero Pœnitentes sunt secundi generis; iterum advertendum duximus; an semper eadem venialia sint specie, an vero diversa. Si Monialis hæc semper eadem venialia exponit, clare ostendit non dolere, nec propositum habere cavendi ab illis, sed in ipsius amore adhuc hærere; ideoque hac in hypothesi medium necessarium est, ut Monialis addat præteritæ vitæ materiam gravem, ne confessionem periculo sacrilegii exponat ob defectum sinceri doloris, firmique propositi. Sin autem secundi generis,

itaut

Digitized by Google

ita ut Monialis hæc sit de illis devotis Fæminis, quæ Confessionem frequentant spe sacramentalem absolutionem obtinendi, licet hujus Confessarii praxis non sit improbanda, existimamus tamen hanc lethalis peccati accusationem necessariam non esse ad evadendum sacrilegium. Cum enim piæ hæ Fæminæ non semper ad Pœnitentiæ Tribunal accedunt iisdem venialibus circumdatæ, signum est, moralem certitudinem in Confessario inducens, ipsas qualibet in Confessione propositum habere non amplius ad illa venialia redeundi. Cum confiteantur quoque spe veniam, absolutionemque obtinendi, credendum utique est ipsas dolorem saltem virtualem, seu implicitum in amore Dei inclusum toties quoties confitentur elicere. Atqui dolor iste remittit venialia etiam extra Sacramentum: A fortiori ergo in ipso Sacramento remittet. Audiamus Angelicum Doctorem, qui *p.* 3. *Quæst.* 87: *artic.* 1. qualitatem doloris tam pro peccati mortalis, quam venialis remissione necessariam exponit. *Sicut peccatum mortale*, inquit, *remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale; quia manente causa manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pænitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem peccatorum venialium; non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur*

betur per habitum charitatis, vel pænitentiæ virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale: quod patet esse falsum. Unde sequitur, quod requiratur virtualis quædam displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret, se commissise, etiamsi actu de illo non cogitaret. Hactenus D. Thomas.

VI. Nec timendum, quod Monialis nostra, dummodo secundæ superius allatæ subdistinctionis existat, etiamsi aliqua sua negligentia de illis venialibus dolorem necessarium ad obtinendam absolutionem non haberet, atque lethalium accusationem præteriret; non timendum, inquam, quod ipsa sacrilegium committat, exponatque nullitati Sacramentum. Quomodo enim ob defectum, quod nullam, ut supponimus, malitiam involvit in piis, inquam, et timoratæ conscientiæ hominibus ex sola humana fragilitate deficientibus tam miserabilis mutatio posset exoriri? Quod scilicet cum venialibus accedentes, cum lethali crimine decedant? Hoc sentire, nil aliud esset, quam scrupulis piarum animas conturbare. Velimus, nolimus, fatendum est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. Igitur non est imprudenter statuendum doloris defectum ex inadvertentia dimanantem Dei gratiam eripere posse; Secus piis animabus consulendum foret, quod venialia peccata tantummodo Directori aperirent; Nunquam vero de iisdem confiterentur; quo tamen nihil absurdius potest excogitari

Digitized by Google

cogitari. Quapropter monendos esse duximus Confessarios, ut ad tramites Seraphicæ Doctrinæ Sacramenti Pænitentiæ indemnitati, suorumque Pænitentum conscientiæ hoc in negotio consulant. D. igitur Bonaventura *in* 4. *Sent. dist.* 17. *quæst.* 4. *art.* 2. *ad* 4. ait : *Ad illud, quod objicitur de absolutione, dicendum, quod nemo recipit effectum, nisi caritatem habeat saltem in principio confessionis, vel in medio, vel in fine. Multi autem habent in fine, qui tamen non habent in principio; Et alii se credunt habere in principio, et in fine, qui fortassis non habent; Et aliqui non habent, nec credunt se habere. Primi non incurrunt offensam, sed acquirunt gratiam. Secundi evadunt offensam, quamvis non acquirant gratiam; tertii vero non acquirunt gratiam, sed iram.*

VII. Quid tandem de præfato Juvene sentiendum? Respondeo. Lethalis culpæ reus est adjudicandus, et quia frequentat accedere ad Moniales, et quia ad malum finem accedit. Perspicua quippe est prohibitio in jure Canonico accedendi ad Moniales sine causa rationabili. *In Cap.* enim *Monasteria* legitur : *Monasteria Sanctimonialium si quis Clericus sine manifesta, et rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, et si non destiterit, ab Officio ecclesiastico reddatur immunis; et si laici excommunicationi subdantur, et a cætu fidelium fiant penitus alieni. In Cap.* quoque *Periculoso* dicitur : *Ne quis absque speciali facultate, et sine rationabili, et manifesta causa Ingrediatur, vel accedat ad Monasteria Monialium.*

Atqui

Digitized by Google

Atqui præfatus Juvenis Sanctiſſimas haſce inſtitutiones peſſundat ſua frequentia , atque proterit : Ergo lethalis culpæ reus eſt adjudicandus . Eo magis lethalis culpæ obnoxius evadit ob pravum finem, quo temere illam Monialem allicere tentat. Hinc Epiſcopi omnes , unuſquiſque in propria ſua Ditione, ſibi hujus delicti veniam reſervare conſueſcunt.

Diſquiſitio Tertia.

Jubilæi tempore Confeſſarius nil aliud Pænitentibus ſuis pro ſatisfactione imponit , quam vocales Orationes .

Quæritur 1. *An ratione Jubilæi valeat Confeſſarius leves imponere ſatisfactiones ?* 2. *Num licitum ſit omnibus indiſcriminatim Orationes vocales pro ſatisfactione injungere ?* 3. *An iſti Pænitentes teneantur propria voluntate ſibi impoſitam ſatisfactionem accreſcere ?*

RESOLUTIO.

I. INdulgentiæ, quæ Fidelibus donantur , in infirmitatis ſupplementum ſunt inſtitutæ , quæque ſupplent id , ad quod reddendum attenta inopia noſtra impares ſumus ; debitum autem , quod ſolvere poſſumus , ſolvere tenemur . Hanc porro eſſe Eccleſiæ mentem conſtat ex Scriptoribus pietate, et ſcientia clariſſimis . S. enim Antoninus

1. p.

Digitized by Google

1. p. tit. 10. cap. 3. Sect. 3. Nec credant, inquit, *quod propter has Indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita*. Cajetanus Tract. de Indulgentiis *Quæst.* 1. ait: *Cum Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat; hoc enim vere esset enervare satisfactiones pœnitentiales*. Constat ex verborum declaratione, quibus Pontifices in Indulgentiis concedendis utuntur; nam fatentur semper elargiri Indulgentias vere pœnitentibus. At quomodo vere pœnitens existimandus esset ille, qui levissimam pœnitentiam adimplere exoptaret? Si vere quem pœnitet, ex corde pœnitet, si ex corde pœnitet, culpam in tota sua malitia, et gravitate cognoscit; si cognoscit, perspectum quoque habeat necesse est pœnitentiam fore amplexandam, adeo ut eadem per integrum vitæ curriculum perseveret. Doctor quapropter Angelicus *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2.* exoptat, *Consulendum esse eis, qui Indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant*. Constat denique ratione impossibilitatis; Secus Ecclesia ad fovendam populorum mollitiem concederet indulgentias: Christi meritum, Sanctorumque Martyrum Sanguis in firmandam peccatorum ignaviam impenderetur, ac Oraculum istud pessumdaretur penitus: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Quæ omnia prorsus impossibilitatem involvunt.

II. Hic igitur Confessarius, qui credit Jubilæi tempore Ecclesiam suis Ministris licentiam

Digitized by Google

adimere imponendi eas satisfactiones, quæ peccatorum numero, et gravitati respondeant, hallucinatur quam maxime. Quapropter Jubilæi quoque tempore meminerint Confessarii omnes aureæ sententiæ D. Caroli Borromæi in Instruct. Pœnitentiæ, dicentis. *Cum hæc Parochus pro prudentia, charitateque sua spectabit, tum vero maxime videbit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat: Id quod et Confessoribus, et Pœnitentibus periculosum est; cum id a sacris Literis, et a Conciliorum Decretis, et a SS. Patrum sententia alienum sit. Nam divinæ Literæ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant: Ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, et planctu. Et vero qui peccatis gravibus leves quosdam Pœnitentiæ modos imponunt, hi consuunt pulvillos, secundum Propheticum Sermonem, sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Immo Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui dum cum Pœnitentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt.* Hactenus D. Carolus Borromæus.

III. Necessitatem satisfaciendi Deo, compensandique injuriam Supremæ ipsius Majestati per peccatum illatam in illis, qui e peccato ad Creatorem suum redire exoptant, perspexit semper Ecclesia, innumerabilibusque Decretis nihil sibi potius esse, quam ut huic oneri satisfacere curent Fideles, significavit. Nihilo tamen minus experien-

rientia nos edocet ipsam Christi Sponsam Eccleſiam conqueri merito posse, prout Cypriani ætate, ipsius verbis dicentem: *Emerſit*, (Filii) *dilectissimi novum genus cladis, et quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Evangelii, ac Dei Legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita et falſa pax, periculoſa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera; et plaga lethalis altis, et profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.*

IV. Ut igitur ab hac querimonia eximant Eccleſiam, præcipit Tridentina Synodus *Seſs.* 14. *Cap.* 8. quod Sanctuarii Administri excipiendo Fidelium Confeſſiones præ oculis habeant, ut Satisfactio quam imponunt non ſit tantum ad vitæ novæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem. Quamobrem criminum qualitatem explorent oportet, ut convenientes injungant ſatisfactiones. Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ ſunt mala, quæ in nobismetipſis quotidie experimur, quibusve mederi oportet, quæque vindicare. Inſpecta igitur ſpecie mali, remedia diverſa aptari neceſſe eſt. Non omnibus omnia prodeſſe perſpicuum eſt.

Non

Non omnibus malis sola Oratio respondet. Oratione sola igitur mala omnia non vindicantur. Quibus jejunium; quibus eleemosinæ, cæteris Oratio sunt præcipienda, quia medicinales, et satisfactoriæ sunt pœnitentiæ. *Injunget* (Confessarius), inquit D. Carolus Borromeus in *Instruct. Sacr. Pœn. Injunget pœnitentiam pro culpæ, et Personæ ratione, ita, ut superbis humilitatis opera, carnis voluptatem sectantibus jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat; in oratione negligentibus, ut singulis diebus, mane saltem, et vespere Orationi vacent, ... ; Mundi pompas, choreas, aliaque opera sathanæ consectantibus eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus* (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime Beatus Chrysosthomus monet) *sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per Compatres in baptismo sancte fecerunt, redintigrent intime Deum precando; in qua precatione firmo, stabilique animi proposito statuant se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterum, atque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, et diabolo in primis, cui se adversarios esse, et professi sunt, et profitentur perpetuo.* Hactenus D. Carolus.

V. Ex his igitur Vocales Orationes commendamus; Sed solas improbamus; eo quia Pœnitentes in iisdem recitandis assueti fortassis clamant: O felix culpa, quæ talem, ac levem meruit habere satisfactionem! Ac insuper quia nos commonefa-

nefacit Tridentina Synodus: *Ne, Confessarii, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

VI. Tertia Quæstio inquirit num Pœnitentes, quibus, attenta criminis gravitate, levior imposita fuit satisfactio, teneantur rigidiorem propria electione suscipere? Erga quam quæstionem serio animadvertendum duximus quod dicit Angelicus Doctor *Quodlib. 3. quæst 13. art. 1. Peccator est debitor alicujus satisfactionis dupliciter: Uno modo ex injunctione Sacerdotis, alio modo ex peccato commisso. Unde si contingat quod Sacerdos minorem Satisfactionem imponat pœnitenti, quam sit illa, ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute clavium, et contritionis præcedentis; nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur, quod si in hac vita non perficiet, in Purgatorio exsolvet.* Ex qua Angelici doctrina eruitur sub duplici respectu Satisfactioni adstrictum esse quemlibet Pœnitentem, respectu nempe Dei offensi, et respectu Confessarii imperantis. Sicuti fur tenetur restituere respectu Domini rei ablatæ, et respectu Confessarii restitutionem imponentis: Sicuti Filius debet Sacramenta suscipere respectu Christianæ Professionis, et respectu Patris præcipientis. Hinc quemadmodum restitutioni obstrictus esset fur, Filiusque ad Sacramenta suo tempore suscipienda, quamvis Confessarius negligeret imponere illam, et Pater omitteret hanc

Filio

Filio præcipere : Ita in Casu per indulgentiam Confessarii onus Pœnitenti non adimitur rite satisfaciendi Deo pro culpis admissis.

VII. Quis revera Pœnitentum Christianorum Regio Psalte securior reperitur, quem Propheta Natan in tuto posuit, Dominum Deum transtulisse peccatum suum? Et tamen nunquam destitit laborare in gemitu, ac lavare per singulas noctes lectum suum. Quanto magis igitur pœnitentes nostri continuo tremebundi stare debent, utpote nescientes an odio, vel amore digni sint, quamvis divinæ Misericordiæ rorem in Sacramento Pœnitentiæ recepisse confidant? Hinc Pœnitentiam continuo amplexandam, et sequendam clamat Christus Lucæ *Cap. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Cap. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Clamat Joannes: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ.* Clamant Ecclesiæ Patres: Nam S. Augustinus in *Psalm. 58: Serm. 1. n. 14. Iniquitas omnis*, inquit, *parva, magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante.* D. Ambrosius, *Grandi plagæ prolixa opus est medicina, grande scelus grandem requirit satisfactionem; si levis ex parte Confessarii, grandis fiat ex parte pœnitentis, quod si in correctione minor sit afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus Pœnitentiæ fructus.* Quapropter ita ad rem nostram concludit Petrus Blesensis. *Non tibi blandiaris si graviter peccanti levior pœnitentia, vel a nesciente, vel a dissimulante dictatur, cum in Purgatorii ignibus perficiendum sit quid-*

quidquid hic minus feceris, licet autem non evasurus sis manus Dei viventis, qui tibi plane non consulat, tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te docet tantum a licitis abstinere, quantum te memineris illicita perpetrasse.

Disquisitio Quarta.

Ad Pœnitentiæ Tribunal accedit Susanna, quæ exponit se noscere Sempronium gravis delicti labe fædatum, necnon et a quodam Confessario ad turpia pluries sollicitatam fuisse. Re mature perpensa, Confessarius ei imponit, ut utrumque denunciet. Renuit Susanna denunciare Confessarium sollicitantem, quia deest sibi animus afferendi damnum proximo. Recusat denunciare Sempronium, quia, inquit, Christi præceptum est, ut crimina secreto corrigantur. Hinc Confessarius ob illam inducendam ad sui debiti adimplementum hortatur, ut Confessarium sollicitantem prius admoneat, Sempronium vero corripiat.

Quæritur: Quid in utroque casu jure stabiliendum?

RESOLUTIO.

I. DEus *mandavit illis unicuique de Proximo suo*. Ita Eccles. *cap.* 17. legitur. Mandavit, scilicet, ut si quis nostrum videat proximum suum in peccatum aliquod lapsum, aut labentem, ei mox appropiet, medicinam correptionis adhibeat, ejusque curam habeat. Quamobrem Christus Domi-

minus, ut Math. *Cap.* 18. habetur expressius, ut erranti proximo recte consulamus, inculcavit dicens: *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Tam sollicite hujus Præcepti observantiam Christus Dominus deposcit, ut reus graviori crimine evadat, qui sui proximi delictum, cum possit, negligit corripere. *Si neglexeris*, inquit Augustinus Sermon. de Verbis Domini, *si neglexeris corrigere, factus es pejor illo . . . . Tu vulnus Fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, et negligis? Pejor es tacendo, quam ille conviciando.*

II. Nihilo tamen minus tres causæ ab hoc debito fraternæ correctionis excusantes communiter a Theologis assignantur. Prima: Quando non speratur fructus emendationis, et præsertim cum putatur emendandus deterior evasurus; prout eruitur ex Prov. *Cap.* 9. ubi habetur: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Secunda: Cum speratur proximum brevi tempore fore emendaturum, aut notum est jam se emendavisse. Hinc Seneca *lib. de morib.* inquit: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur: Res enim optima est non sceleratos extirpare, sed scelera.* Tertia tandem si saltem probabiliter non constat proximum deliquisse: Cum enim constare non possit de proximi delicto, cessat finis correctionis, qui est, ut reus emendetur.

III. Admonitionem inter, et correctionem hæc intercedit differentia. Correptio importat, quod si correptus emendetur, amplius denunciari

non

non debeat, prout uno ore fatentur Theologi. Admonitio autem admittit quoque denunciationem, ita ut possit quis reum admonere, et inde onus suum denunciando adimplere. Cum igitur sermo habetur de denunciando sollicitante ad turpia confundenda omnino non est admonitio cum correctione.

IV. Item aliud est existimare admonitionem sufficientem, aut necessariam; ita ut absque piaculo præteriri non possit: Aliud est judicare illam insufficientem quidem ad onus denunciationis adimplendum, sed opportunam, salutaremque, ac in Sollicitati libertate positam, ita ut valeat et præmittere, et præterire prout libuerit. Cum Sanctæ Inquisitionis Declarationes, et signanter Alexandri VII. Decretum præcipiant quoscumque Sollicitantes esse denunciandos absque eo quod præmittatur fraterna correctio, non de admonitione, teste Benedicto XIV. *De Synod. Diæc. lib. VI. Cap. II.*, sunt intelligenda; sed de vera correctione, et de tali correctione, quæ aut impediat quominus reus denuntietur, aut impune differre faciat denunciationem, quatenus sit conditio necessaria denunciationi præmittenda.

V. Hinc Confessarius improbari non debet, si hortetur Susannam sollicitatam, ut admonitionem antea præmittat. Quod enim est charitati conformius, quod Religioni, aut Reipublicæ nullum affert detrimentum, quod nulla lege vetatur, proculdubio improbandum non esse neminem fugit. Atqui hæc admonitio est utique charitati confor-

mior,

Digitized by Google

mior, quippe quod aperit reo viam semetipsum incusandi, probandique deinde Tribunalis pietatem: Religioni, ac Reipublicæ nullum producit detrimentum, quia justitia vindicativa adamussim impletur, ac debitis pœnis a Summis Pontificibus taxatis pro illis sponte semetipsos incusantibus, rei multantur. Nequidem alicui Legi adversatur, prout omni nobis asseveratione affirmat Summus Pontifex Benedictus XIV. loco citato, dicens: *Alter casus est de eo, qui reum quidem admonet, verum non idcirco ab eodem denunciando se abstinet: Hoc autem est, quod nulla adhuc Lege, aut Decreto vetatur, cum sic et correctionis naturale præceptum, et simul denunciationis positivum adimpleatur*. Consilium ergo Confessarii, quod Susanna Sollicitantem admoneat non est improbandum.

VI. De fraterna vero correctione inter oppositas Theologorum sententias, mediam existimavimus amplexandam. Hinc fatemur utique juxta Christi Domini verba secreta Fratrum nostrorum crimina occulte esse corripienda: *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum*. Non idem tamen sentiendum esse dicimus, quando crimina bono publico, ac animarum saluti opponuntur. Perspicua quapropter sunt Deuteronomii verba. *Si tibi persuadere voluerit Frater tuus, filius, Uxor, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens, serviamus diis alienis, non miserearis, ut occultes eum*. Et hoc ratio ipsa expostulat, ne scelus, ut cancer serpat, et sui contagio facillime alios inficiat.

Digitized by Google

VII. Quapropter pro hujus Quæsiti resolutione duximus distinguendum, aut Sempronii delictum publicum erat, aut occultum. Si publicum, prætermittenda sane fraterna correctio; publice enim peccantes, publice et corrigendi, et puniendi sunt, ut Reipublicæ bono consulatur, scelestique homines perterrefacti ab eodem se abstinere nitantur. Si vero delictum erat occultum; iterum examinari opus erat, an spirituale, vel temporale damnum proximo afferebat, aut non. Si negative; en secreta admonitio peragenda, en casus, in quo urget Christi Domini præceptum, ut nedum Animæ, verumquoque Fratrum honori, ac famæ consulatur. Si vero Sempronii scelus proximo suo erat damno, en quomodo reponit Angelicus Doctor 2.2. *quæst.* 33. *art.* 7. in corpore: *Quædam peccata occulta sunt, quæ vergunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta, si aliquis occulte tractet, quomodo Civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines a fide avertat, et quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire*. Et *Quodlib.* 11. *quæst.* 10. *art.* 13. addit. *Sed quia propter diversas conditiones Prælatorum, et Subditorum non potest in hoc dari generale judicium, quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adversus subditum; Vel subditus non bene ferret verba Prælati; ideo tenendum est hoc pro regula, quod in*

Digitized by Google

in omnibus istis semper servanda est charitas, et quod magis, et melius expedire videtur.

VIII. Ex his igitur constat quam maxime 1. Susannam quocumque in casu non delinquere præmittendo correptionem. 2. Si peccatum est publicum, ultra correptionem a publica utilitate adstringi ad denunciationem. 3. Si est occultum, sed proximo vel in spiritualibus, vel in temporalibus nocivum, posse quidem Sempronium corripere, sed teneri ad denunciationem. 4. Tandem si delictum est privatum, et insimul absque proximi detrimento, hoc in casu ad fraternam correctionem tantummodo ex Christi præcepto devinci usque dum spes fulgeat emendationis.

Disquisitio Quinta.

Cajetano gravi morbo correpto occurrit Franzoja Sacerdos excommunicatus non toleratus; et cum nullus alius adsit Sacerdos, ut periculo consulat damnationis æternæ, in quo Moribundus forsan versatur, Sacramentalem absolutionem ei impertitur,

Quæritur: Num licite, ac valide?

RESOLUTIO.

I. CUm agitur de Sacramentorum administratione, viam tutiorem calcandam esse ratio ipsa dictat, Sacramentorum Dignitas exposcit, Ecclesia præcipit, saniores omnes Theologi uno ore clamant,

mant. Nihilotamen minus quædam occurrere videntur aliquando circumstantiæ, ad quarum aspectum humana ratio periclitatur, ac non raro Theologorum animum flectit ad viam benigniorem amplexandam. Ita evenit in Franzoja, multisque allis dum de Sacramento Pœnitentiæ in Articulo mortis ministrando disseruerunt.

II. Enim vero Franzoja celebris Patavini Collegii Theologus, hujusque sæculi Scriptor clarissimus, quamvis suo in Opere vires omnes intenderit ad Probabilisticum genium a Bussembao, La-Croixio, ac Zacharia probabilismi defensoribus præclarissimis intra electum triticum superseminatum, radicitus convellendum, atque a Salomonis Porticu prorsus eliminandum; nihilotamen secius miseratione motus erga Agentes animam, ne periculo damnationis æternæ sint expositi, autumavit Sacerdotem hæreticum, excommunicatum non tolleratum, degradatumque fulcitum esse potestate absolvendi moribundum, prout cæteri Sacerdotes. Tres sunt rationes principales, quibus hoc suum assertum nititur sustinere: Prima ex Tridentina Synodo desumpta: Secunda ex Censuræ qualitate, ac effectibus eruta. Tertia tandem ex pluribus congruentiis consarcinata.

III. Cum enim Tridentina Synodus *Seſs.* 14. *Cap.* 7. dicat. *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris ab-*

sol-

solvere possunt : Franzoja noster verbum *omnes* animadvertit ; Ideoque sic ratiocinatur : Sicut in Articulo mortis nullum peccatum, nullaque censura excipitur, a qua nequeat absolvi, quia Tridentina Synodus inquit ; *Nulla sit reservatio in articulo mortis* ; pari passu tenendum est nullum esse Sacerdotem, qui in mortis Articulo absolvere non possit, quia Synodus Tridentina ait, *Omnes Sacerdotes absolvere posse*.

IV. At argumentum hoc nihil nos urget, ut ipsius Franzojæ adhæreamus opinioni. Ideo enim de omnibus, singulisque peccatis absolvendis intelligenda est Tridentina Synodus, dum dicit : *Nulla sit reservatio in Articulo mortis*, quia illo in Capite de reservatis defacto sermonem habet, prout ipsemet titulus Capiti præpositus satis ostendit. Sed cum inde profert omnes Sacerdotes non comprehendit quidem illos, qui ab Ecclesiæ sinu sunt explosi, utpote quia intendit juxta Ecclesiæ consuetudinem. Porro nunquam prævaluit in Ecclesia Dei consuetudo, ut Sacerdotes nominatim excommunicati facultate absolvendi a peccatis præditi essent : Ergo Tridentina Synodus verbo *Omnes* Sacerdotes quoque excommunicatos noluit comprehendere.

V. Ecclesia, pergit idem Auctor, excommunicatos non toleratos, hæreticos, et degradatos suos rebelles maxime punitos vult ; ideo omni beneficio, ac potestate ecclesiastica eos privat in eorum pœnam. At quod absolvere non possint moribundum, non eorum pœna, sed moribundi maximum

ximum detrimentum est, quem Ecclesia non punire, non suis beneficiis privare, sed omni ope adjuvare, quantum in ipsa est, vult; ergo Ecclesia non vult Sacerdotes hæreticos, excommunicatos non toleratos privatos jure absolvendi moribundum.

VI. Fateor equidem Ecclesiam privare excommunicatos potestate ecclesiastica in pœnam ipsorum excommunicatorum. At non per hoc conqueri possunt moribundi, quod pœna isthæc in ipsorum detrimentum sit conversa: Sicuti contra Judicem nequeunt querelas suas elevare Filii, eo quod Patrem ob scelera sua ad triremes a Judice damnatum esse conspiciunt. Iudex enim puniendo unice respicit reos debita pœna mulctandos; ita Justitia, jurisque ordine exposcente: Filiorum vero detrimentum ex pœna a Judice ipso in Patrem lata profluens, non animadvertit. Et quamvis sibi displiceat, non impedit tamen, quominus eveniat, neque vult ut accidat. Pari modo Ecclesia noxios homines excommunicationis fulmine ejicit e sinu suo, segregat a sua communione, eosque sacris interdicit, ut pudore saltem affecti, ad bonam frugem redeant aliquando. Quidquid vero damni aliis evenire possit ex hac pœna non considerat. Et quamvis, ut Matri peramantissimæ sibi displiceat occurrere non posse cujusdam moribundi saluti per sacramentalem absolutionem, nisi Sacerdotis excommunicati; attamen damnum istud non sibi imputat, utpote ab ipsa non productum. Distorqueretur quippe Juris ordo si abjectus ab Ecclesia vi excommunicationis, præditus adhuc remaneret

neret Ecclesiasticæ potestatis, ut unius individui periculo consulere posset: Sicuti juris ordinem perverteret Judex, dum, ut Familiæ suæ detrimento occurreret, amissam restitueret reo libertatem. Universali enim Communitatis Moderatori hoc non convenit; Ergo ineptum est ex moribundi periculo deducere Ecclesiam velle Sacerdotes hæreticos, et excommunicatos non toleratos, jure præditos esse absolvendi moribundum.

VII. Tandem opponit Franzoja: Mater Ecclesia clementissima est, habetque viscera misericordiæ amplissima, præserim erga moribundos in periculo damnationis æternæ versantes: Cui periculo, quacumque ratione fieri potest, ipsam consulere, ac occurrere velle, pro certo habendum est: At moribundus, quem mortalium peccatorum conscientia gravat, in periculo æternæ damnationis versatur; huic periculo consuli, et occurri potest, si Sacerdos schismaticus, hæreticus, excommunicatus vitandus, cum alius non adest, Ecclesia facultatem absolvendi ipsi impertiente, moribundum signa contritionis dantem, absolvique petentem absolvat; alia ratione satis non occurritur, quia semper incertum est, utrum contritio talis, et tanta sit, ut ex se ad gratiam justificantem sufficiat. Si non absolvitur, maximum periculum est, ut æternum pereat. Si absolvitur, de ejus salute rationabilius speratur. Ergo merito judicamus Ecclesiæ mentem esse, ut hæreticus &c. jurisdictionem in hujusmodi extremo casu habeat, eaque uti possit, ac debeat.

VIII. Con-

Digitized by Google

VIII. Congruentia hæc primo intuitu videtur alicujus roboris, sed si res intimius perspiciatur, extemplo evanescit. Siquidem in re tam gravis momenti, in qua, videlicet, agitur de validitate Sacramenti, non sufficere rationes congruentiæ, et verosimilitudinis, nemo quit in dubium revocare. Quod si argumentum valeret, nimis utique probaret; indeque nihil.

IX. Nos non latet plurimos hujus Ævi existere Auctores, præsertim Gallicæ Nationis, qui Franzojæ tuentur opinionem. At probabiliorem negativam sententiam adjudicamus, et ob adductas rationes, et ob Auctorum dignitatem, qui illam tuentur, ut sunt Magister sententiarum, D. Thoma, Doctor Subtilis, Durandus, Turre Cremata, S. Antoninus, et alii. Deferunt Adversarii Eminent. Card. Albizj, *De inconstantia in fide Cap.* 18. *n.* 39. scripsisse: *Novi etiam, quod de Anno* 1682. *tempore Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. fuerit in S. Congregatione S. Officii super ista opinione disceptatum; et cum aliqui ex Cardinalibus Opinionem S. Thomæ sequerentur, fuit ad trutinam revocata. Relata re ad Sanctissimum, Sanctitas sua pro sua prudentia jussit, ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur, prout mihi asseruit R. P. M. Piazza Assessor S. Officii*. Hoc præsupposito, certe causa finita foret. At quemadmodum Adversarii Sacræ Congregationis Concilii Rescriptum in nostræ Sententiæ fulcimentum a celebri Fagnano relatum, explosum volunt; ita impru-

dentia non erimus nos incusandi, si ut affirmativam sequamur sententiam, præfatum Pontificis mandatum publicis monumentis vallatum reposcamus.

Disquisitio Sexta.

Sicardus Simplex Sarcerdos ex vi solius Ordinationis facultatem se habere contumaciter existimat Pœnitentiæ Sacramentum administrandi, et in hac sua opinione obstinatus peccata dimittit, vel retinet absque ulla sui Episcopi approbatione, et sine ulla Jurisdictionis potestate.

Quæritur. 1. Quid sit potestas Ordinis, et quid potestas Jurisdictionis? 2. An potestas jurisdictionis a potestate Ordinis sit realiter separata, atque distincta? 3. An Sicardus Pœnitentiæ Sacramentum administrans absque ulla jurisdictione, et approbatione non solum illicite, sed etiam invalide id faciat?

RESOLUTIO.

I. NOs ipsi, qui benignam laxorum Casuistarum methodum sæpe sæpius reprobavimus, eo quod prætermisso Verbo Dei Scripto, et tradito antiquitatem contemnant, novitati indulgeant, et molles opiniones vanis ratiunculis, ac distinctiunculis ingerant; hac in Disquisitione monere cogimur Venerabiles Sanctuarii Administros cavendum sibi maximopere esse a quibusdam nostri ævi

Mora-

Digitized by Google

Moralis Theologiæ Scriptoribus, qui venerabilem antiquitatem in ore semper habentes, præsentem Ecclesiæ disciplinam damnare audent, et Scripturarum, Conciliorum, Patrumque testimonia in pravum eorum sensum contorquentes, falsas, absurdas, erroneas, ac etiam hæreticales doctrinas inducere conantur. Et sane, præter Theologiam Moralem Petri Tamburini pluribus scatentem erroribus, aliorumque hujus furfuris Jansenisticæ Sectæ Professorum, prodiit recenter Ticinensibus, ut creditur, Typis Opusculum a Georgio Sicardi exaratum, cui titulus: *Della Validità delle assoluzioni dei peccati date in virtù del solo Ordine Sacerdotale, senza verun' altra facoltà, e approvazione*; quo in Opere contraria sententia tamquam nova traducitur, antiquitati incognita, et Patrum doctrinæ contraria.

II. Verum constans semper fuit Ecclesiæ Orthodoxæ sententia, aliam esse potestatem Ordinis, aliam potestatem Jurisdictionis. Potestas Ordinis est facultas peccata remittendi, vel retinendi, quam omnes Sacerdotes in Ordinatione sua æqualiter recipiunt vi verborum illorum: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt*, quæque nullo crimine deleri potest. Potestas autem jurisdictionis est Auctoritas, per quam Sacerdos velut Judex legitimus valet in alterum, tamquam sibi subjectum, sententiam rite pronuntiare, ejus peccata vel remittendo, vel retinendo. Hæc vero Jurisdictionis potestas duplex distinguitur ordina-

dinaria nempe, et delegata. Ordinaria ea est, quæ alicui competit ratione officii, quod adjunctam habet animarum curam, tales sunt Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia. Jurisdictio delegata est ea, quæ alteri Sacerdoti ab eo tribuitur, qui ordinariam habet, qualis est in Presbyteris, quos Locorum Ordinarii ad excipiendas Fidelium sibi Subditorum Confessiones admittunt. Apposite ad rem nostram Angelicus Doctor „ Dicendum, quod duplex est spiritualis
„ Potestas, una quidem Sacramentalis, alia jurisdi-
„ ctionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ
„ per aliquam consecrationem confertur ... et talis
„ potestas secundum suam essentiam remanet in ho-
„ mine, qui per consecrationem eam est adeptus
„ quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim
„ labatur ... Potestas autem jurisdictionalis est,
„ quæ ex simplici injunctione hominis confertur.
„ Et talis potestas non immobiliter adhæret. Unde
„ in Schismaticis, et hæreticis non manet; Unde
„ non possunt nec absolvere, nec excommunicare,
„ nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi.
„ Quod si fecerint nihil est actum. *Ita D.Thomas*
„ 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. *in corp.* „

III. Ex hoc igitur Angelici Doctoris testimonio non solum proliuit quid sit potestas ordinis, et quid potestas jurisdictionis, quæ erat prima quæstionis pars; verum quoque evincitur potestatem jurisdictionis a potestate ordinis separatam esse, atque distinctam, quæ erat altera pars discutienda. Idipsum fuit a Tridentino Concilio

defi-

definitum perspicuis illis *Sess.* 24. *Cap.* 8. verbis, „ Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud ex„ poscit, ut sententia in Subditos dumtaxat feratur, „ persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et veris„ simum esse Synodus hæc confirmat, nullius mo„ menti absolutionem eam esse debere, quam Sa„ cerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut „ subdelegatam non habet jurisdictionem „ Quæ sane verba infelici exitu pro sua sententia conatus est explicare Georgius Sicardi. Insuper eadem Sacrosancta Synodus *Sess.* 23. *Cap.* 5. hæc habet; „ Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis „ absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen „ Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse „ Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audi„ re, nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochia„ le beneficium, aut ab Episcopis per examen, si „ illis videbitur esse necessarium, aut alias ido„ neus judicetur, et approbationem, quæ gratis „ detur, obtineat „

IV. Ex quibus clarissime patet Sacerdotes in Sacra Ordinatione accipere quidem veram, realem, spiritualemque potestatem absolvendi a peccatis; non tamen destinationem, et designationem Subditorum a Superiore factam, a qua oritur in Sacerdote potestas jurisdictionis; sive ut scholæ loqui amant, Sacerdotes vi verborum illorum: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: constituuntur quidem peccatorum judices habitualiter, et aptitudinaliter in actu primo, non autem in actu secundo. Sci-

licet

Digitized by Google

licet vi verborum illorum accipiunt potestatem ordinis, cujus ratione reputantur apti ad ferendam de peccatis sententiam. Attamen actu non evadunt Judices, nisi quando eisdem ab Ecclesia tribuuntur, et assignantur subditi, quibus sententiam ferant.

V. Naturaliter quapropter profluit tertiæ Quæstionis resolutio, scilicet, Sicardum non solum *illicite*, sed etiam *invalide* Sacramentum Pœnitentiæ administrasse. Absolutio siquidem, quæ *nullius est* momenti, cujus generis Sacrosancta Synodus Tridentina *Sess.* XIV. declarat eam esse, quæ confertur sine jurisdictione vel ordinaria, vel delegata, non illicita tantum, sed et nulla prorsus et invalida censeri debet. Idipsum sentiendum relate ad absolutionem collatam absque ulla Episcopi approbatione. Nam verba illa *Sess.* 23. *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi &c.* juxta obvium, naturalemque sensum indigitant hujusmodi absolutionem sine ulla Ordinarii approbatione non solum illicitam esse, verum etiam invalidam.

VI. Hinc optimo jure Libelli ab Aloysio Litta, Petro Tamburini, Joanne Baptista Guadagnini, et recenter a Georgio Sicardi exarati ad hujusmodi absolutionum validitatem insinuandam, a Sacra Indicis Congregatione fuere anathemate confixi.

VII. Sed Sicardum audiamus. Concilium Tridentinum, inquit, declarat nullius esse momenti absolutionem collatam absque jurisdictione ordinaria, vel delegata. At ex vi solius ordinationis

jam

jam habet Sacerdos jurisdictionem ordinariam, sive divinam, quam Christus immediate tribuit Sacerdoti in virtute verborum illorum *Accipe Spiritum Sanctum*; Et nomine jurisdictionis delegatæ venit Jurisdictio Ecclesiastica, quæ ab Episcopo tribuitur.

VIII. Verum Sicardiana verborum Concilii Tridentini interpretatio vana, et futilis omnino est. Tunc siquidem in citato textu Sessionis XIV. Verba illa: *Sacerdos non habens jurisdictionem* hunc redderent sensum: *Sacerdos non habens potestatem Ordinis*; Videlicet, *Sacerdos qui non est Sacerdos*; Quam sane contradictionem Œcumenico Concilio affingere summa est vel insania, vel imprudentia.

IX. Opponit iterum Sicardus: Ideo existimantur illicitæ non solum, sed etiam invalidæ absolutiones collatæ sine ecclesiastica jurisdictione, quia tunc non exerceretur judicium supra Subditos: Atqui hoc falsum redolet; ergo falsum quoque, quod præfatæ absolutiones sint et illicitæ, et invalidæ. Hujus argumenti minorem propositionem nititur ostendere varios Concilii Tridentini textus adducens; ex quibus eruitur Sacerdotes a Christo Jesu fuisse relictos, ut vices suas gererent, veluti Præsides, atque Judices. Ita ex Sessione XIV. Cap. 5., et 6., ubi habetur: *Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, et Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur .... Absolutio Sacerdotis .... non est solum nudum ministerium .... sed ad instar*

Digitized by Google

star actus judicialis, quo ab ipso, veluti a Judice, sententia pronunciatur. Quibus præmissis ita argumentatur. Concipi non potest Potestas Judiciaria sine relatione ad Subditos. Atqui Sacerdotes ex vi suæ Ordinationis Judices a Christo constituuntur: Ergo Subditos habere debent, supra quos possint ferre Iudicium. Hinc concludit, quod licet simplices Presbyteri non habeant Subditos specialiter assignatos, hujus scilicet, vel illius Ecclesiæ particularis; habent tamen Subditos omnes peccatores Christianos.

X. Sed et hæc pariter difficultas evanescit, si rem attente consideremus. Iis enim in locis, quæ ex Concilio Tridentino objicit Sicardus, agebat Sancta Synodus contra Lutheranos, qui erronee prorsus contendebant actum absolvendi a peccatis, nil aliud esse nisi simplex ministerium declarandi fuisse a Deo remissa peccata; ideoque declarationem hujusmodi ab omnibus fieri posse, etiam Laicis. Contra eos itaque definit Concilium Sacerdotes a Christo Clavium potestatem accipere, et ab ipso tamquam Præsides, et Judices fuisse relictos. At nunquam docuit simplices Presbyteros vi suæ Ordinationis immediate constitui Judices omnium Fidelium peccatorum, in quos valeant exercere Judicium, etiamsi non habeant ordinariam, vel delegatam Jurisdictionem; imo contrarium definivit. Solum igitur ex laudati Concilii textibus innuitur, Sacerdotes ex vi suæ Ordinationis aptitudinem, sive habilitatem adipisci, ut Judices, et Ministri deputari possint ad conferen-

ferendam peccatorum remissionem; et hanc potestatem defacto obtinent cum ab Ecclesia Subditi illis assignantur, et destinantur. Tempus terere in cæteras solvendas Sicardi difficultates nos piget, quia nullius momenti existimamus, et ex dictis facilè solvi queunt.

Disquisitio Septima.

Confessarius Mulierculam quamdam ad Pœnitentiæ Tribunal accedentem severe objurgat, eo quia inter alia peccata exponit se adulterium commisisse. Hinc timens hæc Muliercula, ne inabsoluta dimittatur, gemitibus, lacrymisve dolorem cordis sui nititur demonstrare. Et revera Confessarius credens gemitus, et lacrymas certitudinem efformare de sufficientia requisiti doloris, illam absolvit.

Quæritur: An hæc Confessarii praxis sit approbanda?

RESOLUTIO.

I. GEmitus, et lacrymas frequentiora esse contritionis Signa non inficiamur; certitudinem vero moralem de sufficientia doloris efformare certo asserere non possumus. Si Physicos enim consulimus, et ad ipsam quoque experientiam oculos tantisper vertere non dedignamur, persuasum nobis erit gemitus, et lacrymas, signanter in Mulieribus, non semper cordis dolorem, atque animi

mæ-

Digitized by Google

mæstitiam indicare. Lacrymæ enim ex unanimi Physicorum consensu secernuntur in superiore Orbitæ parte supra oculi cantum minorem a glandula conglomerata, quam veteres *innominatam* dixere. Quapropter in homine sano postquam humectaverint exteriorem oculi superficiem, ne ab aere exsiccetur, tanta quantitate persistunt, ut ipsarum magna pars absorberi possit a venis bibulis, quæ exhalantibus arteriis respondent, et alia pars superflua ad nares ducatur per ductus, qui dicuntur propterea lacrymales. Hinc si caussa accesserit, ut earumdem secretio augeatur, fluunt ipsæ guttatim a palpebris. Causæ isthæc aliæ sunt mechanicæ, aut chymicæ, ut pulvis, fumus, cæpa, et similia, quæ irritant glandulam *innominatam*, et ideo dum per irritationem hæc comprimitur, lacrymarum quantitas increscat necesse est: Aliæ vero morales appellantur, quæ in nervis sitæ esse videntur. Quapropter dum nos cerebro aliquod adversum concipimus, hoc jûxta mechanismi legem nervis illico communicatur; inde fit, ut a nervis musculus orbicularis contrahatur, a musculo orbiculari præfata glandula comprimatur, et per consequens lacrymæ uberius promoventur. Ex hoc inconcusso physico principio satis evincitur causa, ob quam Mulieres præcipue, et pueri tam facile gemere conspiciuntur. Ipsæ enim nervei systematis mobilitatem perspicuam possident; Unde quæcumque molesta idea vix concepta illico in ipsis, et facillime orbicularem musculum in actione ponit, comprimit glandulam, lacrymasque

masque effundit. Non mirum igitur si Mulieres tam facile lacrymas profundunt; si a fletu ad risum improviso transeunt; ac per consequens fœmineæ lacrymæ cordis ipsarum testimonium tutum, ac securum semper esse non possunt.

II. Ex physica ratione ad experientiam gradum faciamus. Experientia igitur duce comperimus mulieres fere hisce speciosæ contritionis signis ostensis, prima habita occasione in eisdem culpis prolapsas esse. Lacrymæ igitur, speciatim in mulieribus, fere signa sunt ambigua conversionis. Atqui signum ambiguum nullam quit importare certitudinem. Ergo mulierum lacrymæ non sufficiunt, ut Confessarius prudenter judicet de vera ipsarum conversione.

III. Confessarius enim ne exponat Sacramentum periculo violandæ sanctitatis illius, pœnitentem periculo sacrilegii, ac semetipsum periculo iniquæ dispensationis, signa quidem in pœnitente conspicere debet, quæ saltem moralem certitudinem, videlicet certitudinem illam, quæ juxta Ecclesiæ, et prudentiæ regulas faciat credere pœnitentem esse vere contritum, ac ad suscipiendum Sacramentum bene comparatum. Ergo illicitum Sacerdoti Mysteriorum Christi Dispensatori signis ambiguis Sacramenta ipsa exponere. Praxim igitur hujus creduli Confessarii esse omnino improbandam ratio suadet, experientia docet, sanctorum quoque Patrum traditio clamat, atque Ecclesia exposcit; quoniam ex fructu, non ex foliis veram pœnitentiam dignoscendam esse volunt.

IV. Quæ-

Digitized by Google

IV. Quænam igitur sunt veræ contritionis Signa? Presto sunt Tridentinæ Synodus Patres, qui nobis innuunt odium, et detestationem vitæ præteritæ, cessationem a peccatis, et quidem per tale temporis spatium, ut initium saltem emendationis ostendat, firmum propositum non peccandi de cætero, ac tandem novæ vitæ inchoationem. Hinc S. Gregorius Magnus in *lib.* 1. *Reg. Cap.* 15. inquit: *Signum veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Unde Joannes Baptista male conversos Judæos... increpans ait: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ; in fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est*. Et S. Thomas de Villanova *serm. Fer. 6. Dom. IV. Quadrag. Quid ait de Ninivitis Scriptura? Vidit Deus opera eorum, quod conversi sunt de via sua mala, et misertus est... Non ait: Vidit gemitus, vidit lacrymas; sed quid vidit? Opera eorum. Si vitia non deferuntur, frustra Dei misericordia lacrymis imploratur.... O peccator, si vere ploras, fuge concupiscientiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam..... alias non credo lacrymis, multo minus verbis solis*. Ex his igitur satis evincimur non sufficere Pœnitenti, ut ipsius dolor propriam immaginationem tantummodo concutiat, lacrymas quoque diffundat; sed intimos animæ sensus subeat, atque pervadat necesse est, peccatum, nempe, tamquam malorum omnium maximum implacabili odio prosequendo, et cum horroris sensu quidquid illius

spe-

speciem habet toto conatu declinando. *Pœnitentiam certam non facit*, inquit Augustinus *serm.* 217. *n.* 2. *nisi odium peccati*, *et amor Dei*. At quomodo credendum præfatam mulierculam hoc odium in corde suo jam concepisse, si ipsius lacrymæ sunt natura sua tam ambiguæ, si experientia duce tam facile instabiles mulieres signa et doloris, et amoris uno, eodemque tempore super idem objectum solent adhibere, si denique non in sui delicti manifestatione, sed cum perstrepere audit Confessarium, se dat lacrymis? Ad Confessarii correptionem quod cor alicujus fœminæ concutiatur, indeque Spiritus Sancti impulsu, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, incipiat excludere voluntatem peccandi, et sic viam sibi ad justitiam parare, obtingere quandoque posse, non inficiamur. Verum perrarum hoc est, ideoque moralem certitudinem apud Confessarium efformare non potest.

Disquisitio Octava.

Euphemia libidinoso amore capta erga Philippum Confessarium, cum difficile videretur ei, ut quippiam inhoneste ageret cum illo, accubuit super lectum, languoremque simulavit. Hinc vocare fecit Philippum ad suam excipiendam Confessionem. Occurit bona fide Philippus, cui non confessionem, sed suum pravum ostendit desiderium. Renuens vero ille acquiescere precibus ejus, audivit ab illa; aut cuba mecum, aut exclamabo, et accusabo te

apud

apud Tribunal S. Inquisitionis . Qua de causa perterrefactus Philippus, miserrime lapsus est..

Quæritur : 1. Num Euphemia inciderit in casum reservatum ? 2. An debeat Philippum denuntiare ?

RESOLUTIO.

I. QUo spiritu, qua bonitate, quaque sacerdotali fortitudine Sanctissimum Pœnitentiæ Sacramentum sit administrandum neminem Catholicorum latet. At hominum malitia eo devenit, ut tanto Sacramento, quod Salvator noster Jesus Christus secundum miserationis suæ multitudinem in nostram instituit salutem, ad gravissima patranda facinora scelesti homines abuterentur. Summorum quapropter Pontificum pastoralis sollicitudo, et zelus, ut in Ecclesia Dei tam nefando sceleri quælibet præcluderetur via, gravissimas sancivit pœnas, prout pluribus Constitutionibus certi sumus, strictam injungens pœnitentibus obligationem ad hujus furfuris Confessarios denunciandos, vel apud Locorum Ordinarios, vel apud Sacræ Inquisitionis Judices; adeo ut incapaces existant Absolutionis, donec mandatum hoc executioni demandaverint.

II. Verum vero oculatissimus Pontifex Benedictus XIV. animadvertens quosdam ex adverso reperiri improbos homines, qui odio, ira, aut alia indignatione ducti, tremendo Dei Judicio posthabito, Ecclesiæque auctoritate contempta, ausu temerario innoxios denunciare Confessarios non eru-

be-

Digitized by Google

bescunt; ideo ut huic malo provideret, nefandum istud peccatum sibi, suisque Successoribus reservavit, dempta omnibus Confessariis (præterquam in mortis articulo) super hoc facultate: *Ut igitur*, inquit laudatus Pontifex, *tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæqumque Persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote, præterquam a Nobis, nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ perpetuo careat.*

III. Hinc præfata Constitutio motivum suppeditavit inquirendi utrum Euphemia hanc in reservationem inciderit? Nos vero dicimus: Non incidisse: Quia reservatio, ut unanimi consensione fatentur Theologi, debet esse de materia lethali, certa, externa, in suaque specie consumata. Sed Euphemiæ comminatio non fuit in sua specie consumata; Ergo sicuti non est puniendus ut homicida, qui tantummodo dixit homicidium commissurum, nequidem Euphemia punienda est, ut rea falsæ accusationis, quam non complevit.

IV. De Philippo vero diversimode loquuti sunt, et loquuntur usque adhuc Theologi. P. Daniel Concina, quamvis pluries in suo Opere defendat adhærendum non esse alicujus Auctoris dicto; tamen hoc in negotio *lib.* 2, De Sacramento Pœnitentiæ, affirmat utique esse Philippum denuntiandum, licet mitius puniendum; sed rationem ullam non adducit. Nihilotamen minus nos

Digitized by Google

duximus ipsius amplexandam esse sententiam, sed duplici ducti ratione.

V. Prima est: Quia Constitutiones damnant tanquam reos sollicitationis Confessarios illos, qui occasione, vel prætextu Confessionis actus inhonestos, et venereos committunt. Atqui Philippus, quamvis coarctatus, occasione tamen Confessionis nefandum patravit scelus; Ergo est denunciandus. Nonne divinæ Gratiæ innixus fortis esse debebat in bello, ac pugnare cum vaferrima illa muliere, uti tot, ac tanta præbent nobis exempla Ecclesiasticæ Historiæ ad accipiendum Regnum æternum? Non fecit? Non est igitur excusandus.

VI. Secunda est excerpta ex Scoti doctrina, qui *in 4. dist. 19. q. Vn.* inquit: *Nullus metus potest inducere aliquem ad peccatum mortale juxta dictamen rectæ rationis: Nam proponi non potest majus malum peccato mortali, quia nec aliqua pœna pejor est culpa peccati mortalis*. Cum igitur juxta rectam rationem debuisset Confessarius se exponere potius infamiæ, ac morti, quam abuti Sacramento ad fornicandum; Ergo non est omnino excusandus. Si omnes quippe Christifideles timere non debent de illis, qui occidunt corpus, quanto magis Sacerdotes, qui specialiter vocati sunt a Christo Jesu ad sustinendas persecutiones propter justitiam?

Disqui-

Digitized by Google

Disquisitio Nona.

Bolgenius vocatus ad audiendam confessionem Sempronii mortaliter vulnerati a Taddeo suo aggressore, post audita peccata, ipsum interrogat, an ex corde parcat inimico. Negative respondet. Eum vero urget Confessarius rationibus desumptis ex Dei infinita bonitate nobis ignoscentis, ex gravi offensa, quæ Deo infertur propter odium inimicorum, ex præmio æternæ beatitudinis iis præparatæ, qui sincero animo diligunt inimicos. Verum a rationibus istis, quamvis gravissimis, nihil prorsus movetur Sempronius. Tunc Bolgenius eloquentiæ suæ nervos intendens, æterni ignis pænas ipsi destinatas, si non parcat, ita vivis, ac pateticis coloribus describit, ut Sempronius commotus exclamet. Ah! si gehenna non esset, uccisori meo utique non ignoscerem. Hac igitur animi dispositione parcit inimico, et Bolgenius eum absolvit.

Quæritur. 1. An simplex timor gehennæ ad justificationem sufficiat, an vero aliquis amor Dei ulterius requiratur? 2. An hujusmodi amor Dei, si requiratur, debeat esse concupiscentiæ, vel benevolentiæ?

RESOLUTIO.

I. NUperrime illustris nostrorum temporum Scriptor multis pro Religione, et Sedis Apostolicæ Juribus tuendis editis Operibus clarus Joannes

Vincentius Bolgenius in Dissertatione italica: *Della Carità, o Amor di Dio*: postquam amorem benevolentiæ tamquam fictitium, et chimericum eliminavit, timorem etiam gehennæ, quam Theologi dicunt, serviliter servilem, ad justificationem sufficientem esse, subdole quidem, et artificiose docuit. Hinc juxta ipsius sententiam nullum ponit ad justificationem recipiendam obstaculum peccatoris declaratio illa: *Se non ci fosse l'inferno, io peccherei*. At tanti Viri pace dictum sit in suo Opere de Charitate a tot egregiis Scriptoribus refutato, in hac, et multis aliis gravissimis rebus nimium a vero aberravit. Hisce igitur breviter adnotatis ad Casus solutionem deveniamus.

II. Duplex quapropter distinguitur pænarum timor, videlicet simpliciter servilis, et serviliter servilis. Primus est simplex pœnarm timor absque ulla animi dispositione ad peccandum, si pœna non esset. Alter est timor pœnæ cum occulto ad peccatum affectu, itaut si pœna non esset, culpa nullimode displiceret. Pœnarum timorem bonum, et utilem esse quisque Catholicorum censet, et credit; at cum servilitate conjunctus, scilicet, cum desiderio peccandi, si pœna non esset, malus deprehenditur, non quidem in sua substantia, sed in sua, ut ita dicam, modificatione.

III. Hinc expresse ait D. Thomas 2. 2. *quæst. 19. art. 4. in corp. Timor servilis secundum suam substantiam bonus est; sed servilitas ejus mala est*. Hanc doctrinam a Patribus nostris accepimus;

Hanc

Hanc firmiter tenere debemus; Hanc quoque ad tardos Næpotes ut transmittamus oportet. Etenim S. Augustinus Sacræ Theologiæ Pater eximius perspicue scripsit: *Qui timore supplicii .... se sentit abstinere ab opere peccati, nondum alienus est a voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, quia mallet .... non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat.* Tandem ut cæteros omittam, S. Gregorius Magnus inquiebat. *Qui timore agit a malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset.* Hucusque de timore serviliter servili; Vel si hæc distinctio non arrideat, de pœnarum timore, utar verbis D. Thomæ, cum servilitate conjuncto.

IV. Concilium Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 4. hæc habet. *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solum, non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hinc nos hujus Œcumenici Concilii definitionibus corde, et animo credimus; at quoniam declaravit simpliciter Sancta Synodus hujusmodi timorem *disponere* ad justificationem; et ab-

Digitized by Google

et abstinuit a verbo *sufficere*, ut narrat Cardinalis Pallavicinus in sua percelebri Historia laudati Concilii; Et quoniam vix concipi potest sine aliquo amore Dei peccandi voluntatem excludi; hinc fere omnes Theologi stant pro sententia illa, quæ docet, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam cum pœnarum metu conjunctum esse debere amorem Dei initialem. Et sane, *qui non diligit*, verba sunt S. Joannis *Epist. I. Cap. 3. manet in morte*. Et cum Concilium Tridentinum agens de dispositionibus ad justificationem in Baptismo exigat, ut adulti baptizandi *illum* (Deum) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*, cur non idem dicendum de dispositionibus ad Justificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam prærequisitis? Hunc Dei amorem initialem esse necessarium intellexit Clerus Gallicanus, et in Comitiis habitis anno 1700. doctrinam hanc tamquam certam, et inconcussam sua declaratione habendam voluit. In veritate hac demonstranda non immoror; eam enim tuetur egregie ipse Bolgenius, licet sibimetipsi contradicens; nam ex hoc posito principio naturaliter profluit illum ad justificationem non esse dispositum, qui ita est animo comparatus, ut peccaret, si gehenna non esset.

V. Amor itaque Dei saltem inchoatus est necessarius ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. At cujus generis debeat esse amor iste summopere inter se contendunt magni nominis Theologi. Alii solum amorem concupi-

cupiscentiæ sufficere opinantur. Alii amorem quoque benevolentiæ necessarium adstruunt. Priorem sententiam acri calamo non perstringimus, sed certiorem amplectentes viam, præsertim cum de Sacramentis agitur, secundæ opinioni inherendum putamus. Peccatum itaque nobis displicere debet *in quantum est offensa Dei*, ut habet Angelicus Doctor in 3. *Part.*, qui certe est actus amoris benevoli, puri, et gratuiti. Unde optime ajebat S. Thomas de Villanova in Concione Dominicæ Passionis: *Dolendum est de peccato prout est offensa Dei, sic ut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut Judicium, etiam displiceret peccatum, quia Deus est offensus*. Et Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus primo hujus sæculi anno celebratis sequentem Propositionem: *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, et supernaturalis est*, gravi hac censura notavit: *Hæc Propositio, qua a dispositione necessaria ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa; et in hæresim inducit*.

VI. Non inficiatur Bolgenius, Dei amorem ad justificationem obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ esse necessarium, hanc sententiam tuetur, diffuseque probat, ut superius innuimus; sed amorem concupiscentiæ cum metu pœnarum mixtum sufficere arbitratur. At, quod novum sane est, et periculi plenum, ut mihi videtur,

sapit

Digitized by Google

sapit Systema: Vult ipse charitatem, quam in solo amore concupiscentiæ collocat, non esse sufficientem ad movendum peccatorem, ut convertatur, et sufficienter doleat de peccato; ideoque necessario charitati superaddi debere gehennæ metum, ut peccator sese ad justificationem disponat. Quo in casu pænarum timor primas agit, et in ultima analysi ipse principaliter peccatorem ad justificationem præparat. Hic autem est timor servilis, quolibet vero Dei amore disjunctus. Docet enim S. Thomas, *Objectum timoris servilis esse pœnam, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, et per consequens pœna timeatur tamquam principale malum quod contingit in non habente charitatem. 2. 2. quæst.* 18. *art.* 4. Insuper millena tum Scripturarum, tum Patrum testimonia confirmant charitatem operire multitudinem peccatorum. Cur igitur in charitatis subsidium vocatur pœnarum timor? *Latet*, ni fallor, *anguis in herba*. Tandem Concilium Tridentinum dum peccatoris dispositiones enumerat ad justitiam obtinendam primo ponit fidem, secundo pœnarum timorem, tertio spem veniæ, ultimo denique dilectionem Dei; indeque subdit: *Ac propterea*, scilicet ab amore Dei, tamquam a proxima causa, *moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem*, uti habetur Sess. VI. Cap. 6.

VII. Ut autem suum Systema magis magisque stabiliat Bolgenius contendit verba illa peccatoris: *Se non ci fosse l' inferno io peccherei*, puram esse

esse intellectus abstractionem. Verum ignorantiam meam ingenue fatens, non video, quomodo sine absurditate sustineri possit, peccatores culpæ amore illectos, et inebriatos, dum clamant: Si non esset infernus, utique furarer, occiderem, fornicarem, et similia, indicare potius metaphysicas, et subtiles eorum mentis abstractiones, quam affectum ad hujusmodi vitia in animo latentem.

VIII. Contendit secundo quod etiamsi verba illa aliquam animi dispositionem, seu voluntatis determinationem præseferrent, non inde sequeretur, peccatorem ad justificationem non esse dispositum. At Patres nostri uno ore clamant, timorem gehennæ cum servilitate conjunctum, sufficientem non esse ad justificationem, ut superius satis demonstravimus. *Inaniter putat*, inquit Augustinus, *victorem se esse peccati, qui timore pœnæ non peccat; quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis*. Non esset itaque plene ad Deum conversus, qui præfatam voluntatem haberet, ideoque ad justificationem minime dispositus.

IX. At in metu pœnarum, urget Bolgenius, qualiscumque is sit, habetur semper Dei sinceras amor conjunctus; Nam timor inferni præscindere non potest a displicentia amissionis ipsius Dei, qui est objectum nostræ æternæ beatitudinis, in qua displicentia amor castus, et purus consistit. Verum nihil nos movet hujusmodi sophisma. Siquidem Augustinus, Gregorius, Angelicus, Thomas a Villanova, uno verbo, Patres omnes nos admonent,

me-

Digitized by Google

metum inferni cum servilitate conjunctum ad justificationem non sufficere. Supponunt itaque, peccatorem in pænarum gehennæ timore a Dei amore præscindere posse. Et revera sæpe contingit, ut homo magis pungatur timore pænæ, quam timore amissionis præmii, et non raro ad amissionem præmii ne minime quidem cogitet. Verissime itaque peccatores magnos existere censemus, qui nullam Paradisi curam gerant, sed solum infernum metuant, qui timor si cessaret, cessaret quoque externa abstinentia ab opere peccati; Unde in corde vere, ac realiter remanent peccatores.

X. Tandem Bolgenius opponit amorem benevolentiæ a nobis volitum pro justificatione obtinenda, nullum habere in Scripturis, et in Patribus fundamentum. Et congestis pluribus tam Patrum, quam Scripturæ testimoniis, ubi Deus tamquam diligibilis nobis proponitur, quia est nostrum Objectum beatificans; *En*, clamat, *solus amor*, *quem reperire possumus in Verbo Dei scripto*, *et tradito*. *Amor autem benevolentiæ a Scholasticis invectus absurditatem sapit*. At si Deum toto corde, tota anima, et super omnia diligere debemus ex Evangelico præcepto, quomodo etiam supra nostrum particulare bonum, utilitatem, voluptatem, gaudium, scilicet de eo possidendo in cœlesti Patria, Deum ipsum in se absolute bonum, infinitisque perfectionibus præditum diligere non poterimus? Id impossibile non videbatur Angelico, qui 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 2. expresse inquit: *Diligitur Deus propter seipsum*; *Unde una sola ratio*

tio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia, secundum illud Psalmi 105. *Confitemini Domino, quoniam bonus. Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes sunt secundariæ, et consequentes ex prima*: Nequidem impossibile videbatur Seraphico Doctori D. Bonaventuræ, qui duplicem motum in charitate agnoscebat, motum scilicet concupiscentiæ, et motum benevolentiæ, seu amicitiæ. Legantur Opera eorum, *et Amor benevolentiæ* in terminis ab ipsis adoptatus reperietur.

XI. Denique adversus Bolgenium Augustinum adducamus, quem suum esse tantopere jactat. Sanctus itaque Doctor æternæ beatitudinis sive Dei facie ad faciem conspiciendi, ipsoque fruendi desiderium non ad solum nostrum bonum, commodum, utilitatem, et voluptatem humiliat, ut ipse præstat in sua Dissertatione, sed ad ipsius Dei gloriam extollit, in quo precise amor benevolentiæ consistit. Sic itaque egregie scribit Magnus Augustinus *hom.* 37. *Si diligis aurum, prius te diligis, et deinde aurum: Dico, et ego: Si diligis ita Deum, tibi concupiscendo Deum prius te diligis, et postea demum Deum; frueris ergo te, quia teipsum propter teipsum diligis, Deum vero nonnisi propter te amas, quod ipsum est præferre seipsum Deo. Perversa est igitur illa cupiditas Dei, quia perversum est, Deum ad nos referendo a nobis ipsis frui*. Clarius ne contra Bolgenium loqui poterat Augustinus? Sed qui uberiorem hac de re tra-

tractationem præoptat, Bolgenianæ Dissertationis consulat Confutatores.

XII. Ad Casus igitur solutionem quod spectat, dicimus, Bolgenium antequam Sempronium absolveret, eum excitare debuisse, ut non solum ex timore gehennæ, sed etiam ex amore Dei parceret Taddeo Aggressori suo. Id eo magis evincitur ab obligatione contritionem perfectam eliciendi in mortis articulo, ut communiter sentiunt Doctores.

IN INDULGENTIAS.

Disquisitio Unica.

Judæus recenter Christianam fidem amplexatus eas Indulgentias veluti paradoxon habet, quæ ab Ecclesia pro Defunctis conceduntur.

Quæritur: Chatechesis, et quid dicendum de isto sic sentiente?

RESOLUTIO

I. EXistere apud veram Christi Ecclesiam Thesaurum quemdam ex infinitis Christi meritis, ac cæterorum Sanctorum conflatum constans Traditio est. Cum enim Christus Jesus non gutttam Sanguinis modicam, quæ tamen, ut loquitur Clemens VI. *in Extrav. Unigenitus*, propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset; sed copiose veluti quoddam profluvi-

Digitized by Google

fluvium effuderit, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso; hinc suæ Sponsæ Ecclesiæ thesaurizavit, ut quibus placeret meritis hisce frui, ipsi Dei amicitiæ participes efficerentur.

II. Quamvis vero iste meritorum cumulus sit infinitus, ac proinde augeri non possit; extenditur tamen meritis B. V. Mariæ, ac omnium Sanctorum ab Abel justo usque ad ultimum, qui fulgere merentur in perpetuas æternitates. Et sane intima connexio Membrorum cum Christo Capite, necnon communio, quæ in Ecclesia Sanctos inter Fidelesque intercedit, sicuti unum efficiunt Corpus, ita quoque faciunt, ut omnia hujusmodi Corporis Membra suum sibi invicem meritum communicent.

III. Ex Jesu Christi igitur satisfactionibus, quarum infinitum est pretium, necnon ex Sanctorum exhuberantibus meritis Thesaurus iste insurgit, ex quo tamquam e proprio fundo Indulgentiæ emanant, quarum dispensatio penes Romanum Pontificem residet ob supremam in universa Ecclesia potestatem, atque jurisdictionem; quamvis Episcopi quoque partiales quasdam in propria Diœcesi tribuere valeant.

IV. Hinc evenit ad applicanda ista merita, nempe, ad legitime conferendas indulgentias requiri: Primo: Quod conferens habeat jurisdictionem tam super istum Thesaurum, quam super animas illas, quibus conceduntur. Secundo: Quod indulgentiæ, quæ fidelibus donantur sint

toti-

Digitized by Google

totidem applicationes meritorum Christi, ac Sanctorum ob remittendam aliquam pœnam temporalem, quæ post culpæ condonationem superest luenda: Qua propter Indulgentiæ in nostræ infirmitatis supplementum sunt institutæ, supplentque ad id quod reddendum, attenta inopia nostra, impares sumus. Tertio tandem Indulgentias, quæ pro Defunctos applicantur, non impertiri ab Ecclesia per modum absolutionis: Hac enim ratione intellectæ, paradoxon equidem foret, cum nullam in Defunctis Ecclesia habeat jurisdictionem: sed applicari per modum suffragii, seu subsidii ecclesiastici, nempe, per prefatorum meritorum applicationem impetrando illis pœnæ debitæ remissionem; quomodo Machabeum fecisse legimus, dum opem ferre voluit animabus illorum, qui in prælio cecidere.

V. Hæc omnia fuse confirmari possunt ex innumeris Ecclesiasticæ Historiæ documentis, et præsertim ex historia, et Scriptis D. Cypriani. Ideo hæc est Cathechesis, quam firmiter tenere debet Judæus noster. Si hisce non cedat, sed per modum quoque suffragii Animabus purgatorii Indulgentias paradoxon contendet, veluti excommunicatus habeatur, prout Tridentina Synodus de Indulgentiis *Sess.* 25. *de Reform.* decrevit his verbis: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus..... eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt,*

Digitized by Google

runt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

IN ORDINIS SACRAMENTUM

Disquisitio Unica.

Gentilettus contendit Tridentinos Patres nimis injuriosos fuisse in tertium Nicænum Canonem, dum Sess. 24. Can. 9. *definierunt*: Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos . . . . . posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica; anathema sit.

Quæritur: Examen, et judicium.

RESOLUTIO.

I. PErsecutores Fidei semper quoque cælibatus fuisse persecutores querela vetus, et vera est, qua Origines, Tertullianus, Ambrosius, cæterique Christianæ Religionis Apologetici Scriptores usi sunt, ut Gentilibus Numinum suorum crimina, et spurcitias exprobrarent. Nefandum hoc Gentilium genium veluti e cineribus excitasse videntur nonnulli Transalpini Scriptores, qui nostris diebus pluribus editis Libellis, quorum tituli, quamvis diversi, omnes tamen in id collimant, ut cælibatum exterminent, et Religionem, quæ cælibatum hortatur, et præcipit, nigrioribus charac-

cte.

Digitized by Google

cteribus adducant. Auctores hujusmodi sub Gentiletti nomine confutandos hac in Disquisitione suscipimus

II. En synopsim Argumentorum, quibus cælibatum adgrediuntur. Primo inquiunt: Regni cuiuscumque virtutem, et robur esse semper in ratione majoris numeri hominum, qui ibidem morantur. Unde robur, et vis unius Regni erit duplo major altero si ejus Populus numero duplus altero erit. Atqui cælibatus impedit ne Populus numero augeatur; proinde concludunt Regni cujuscumque utilitati cælibatum vehementissime adversari.

III. Secundo objiciunt id, quod in casu exposuimus, nempe, Romanam Ecclesiam, ipsosque Tridentinos Patres nimis injuriosos fuisse adversus Apostolicam Traditionem, et adversus Nicænum Concilium, dum onus Clericis imposuerunt castitatem servandi, onus quod nec Christus, nec Apostoli præcipere voluerunt. Sed ut hujus objectioctionis vis intelligatur, Paphnutii historiam paucis recitabimus.

IV. Inter cætera, quæ in Concilio Nicæno Primo pertractata fuere, plurimum quoque de Clericorum cælibatu disputatum fuit. Patres unanimi voto jamjam in illud conspirabant, ut Legem ferrent, qua omnes Clerici in Majoribus Ordinibus constituti a Matrimonio deinceps abstinerent, et castitatem perpetuo observarent. Decretum jam scriptum erat, et a Patribus propria manu confirmatum. Paphnutius interea Monachorum Abbas sancti-

Digitized by Google

ctitate, et miraculis celeberrimus de hac nova lege admonitus, illico Nicæam venit, et a Patribus ob ejus sanctitatem in Concilium introductus, adversus Patres, novamque de cælibatu servando legem vehementer vociferatus est, adductisque Ecclesiæ, et Scripturæ Oraculis Nicænos Patres adeo deterruit, ut scriptam de cælibatu Legem dilaceraverint, et Canonem tertium confecerint, quo cælibatus quidem consulitur, et Matrimonii usus Clericis volentibus libere permittitur. Ex hac historia incredibile dictu est, quot, et quanta adversus Tridentinos Patres, et Romanam Ecclesiam adglomerent cælibatus hostes acerrimi. At temere, et imperite, prout paucis demonstrabimus.

V. Fatemur itaque primis Ecclesiæ Sæculis Clericis omnibus, Presbyteris, et Episcopis libertatem factam fuisse, atque plurimorum Conciliorum Sanctionibus confirmatam, qua, si vellent, licite, sancteque possent cum Uxoribus habitare, honorabile exercere conjugium, et thorum immaculatum. Ecclesia a D. Paulo edocta numquam hujusmodi Matrimonia condemnavit, prohibuitque, quousque Clericorum abominationibus coacta, ipsorum conjugia prohibere debuit, ut majora mala exterminaret. Enormia mala, quæ ex matrimoniis Sacerdotum immensa pene colluvie per universam Ecclesiam Sæculis octavo, nono, decimo, undecimo, et duodecimo grassabantur, hujus loci dignitas enumerare non sinit. Unum proinde indigitabimus, nempe, Simoniam, illud teterrimum vitii monstrum, quod Ecclesiam per quinque pe-

ne

Digitized by Google

ne sæcula extremis calamitatibus undique divexavit.

VI. En fatalis hujus exterminii narratio. Clerici ex Matrimonio Filios progignebant, quibus ut consulerent, paterno amore obcæcati, eos Beneficiorum hæredes constituebant, eveniebatque ut in Episcopatu, in Parochiis, cæterisque Ecclesiæ Beneficiis nonnisi Episcoporum, Parochorum, et Clericorum Filii, veluti hæreditario jure succederent. Hinc ad dignitates Ecclesiasticas non digniores, sed homines promovebantur scelestissimi, inepti, et rerum quoque ad doctrinam christianam spectantium ignorantissimi. Episcopi ipsi adeo illiterati erant, ut plerique ne scribere quidem proprium nomen scirent, prout in subscriptionibus Conciliorum illius ætatis manifestissime apparet. Adversus tot mala, quæ universæ Ecclesiæ ultimum fatum minitari videbantur, frustra plures Canonicæ Leges editæ fuerunt. Quare ut hujusmodi venenosa arbor radicitus convelleretur, Clericis omnibus in sacris Ordinibus constitutis Matrimonia omnino prohibita fuere. Ex hac igitur historica narratione, de qua copiose Baronius, P. Orsi, Natalis Alexander, Fleury, cæterique Ecclesiastici Scriptores pertractant, omnia convelluntur Gentiletti sophismata.

VII. Patres Nicæni Canone tertio permiserunt Clericis Matrimonia, quia nulla tunc aderat prohibendi caussa: Subsequentibus vero temporibus non modo legitima hæc fuit caussa, sed absoluta necessitas; non itaque Patribus Nicænis Patres Tridentini opponuntur.

VIII. Et

Digitized by Google

VIII. Et sane, ut exemplis rem jure confirmemus: In Concilio Hierosolymitano Primo ab Apostolis prohibitum fuerat, ne quis deinceps circumcideretur; attamen ob legitimam caussam Paulus Timotheum circumcidit. Per duodecim pene sæcula ex Christi mandato Fideles omnes sub utraque panis, et vini specie communicabantur: at cum Calicis usus scandali caussa foret, Ecclesia illum prohibuit. Ita quoque factum est de celebratione Paschatis, de Jejunio, de Eucharistica Cæna, sexcentisque id generis rebus, quas ex humana malitia, et abusu Ecclesia permutare coacta est. Nec proinde injuriosa fuit; sed jure suo usa est: Omnia possumus in ædificationem, nihil in destructionem: Hæc sunt Ecclesiæ Jura. Cum igitur Matrimonia Clericorum in ædificationem fuere jure sunt permissa: Cum autem facta sunt in destructionem, eodem jure prohibita sunt. En Gentiletti confutationem.

IN SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Disquisitio Prima.

Vocatur Silverius Capellanus ad Infirmum ab Oppido valde dissitum, quem extreme laborantem invenit. Hinc ut vitæ finem Sacramentis munitus

impleat, poſtquam illi abſolutionem impertiverit, Extremam Unctionem quoque Oleo olivarum præbet. Caſu ſupervenit Parochus, et de hoc admonitus, certo tenet Capellanum non confeciſſe Sacramentum, utpote oleo non ſanctificato confectum. Ideo Oleum benedicit, et Extremæ Unctionis Sacramentum iterat.

Quæritur: 1. *Quid de Capellano; Quid de Parocho dicendum?*

RESOLUTIO.

1. GRatias agamus Domino Deo noſtro dignum, et juſtum eſt, quia ſicuti inquit Cathechiſmus Concilii Tridentini *Cap. 6. ut Baptiſmi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefacit; ita etiam ut ex hac mortali vita decedentes expeditiorem ad Cœlum viam haberemus, Extremæ Unctionis Sacramentum inſtituit*. Per illud enim delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, abſterguntur. Per illud anxietates, terrores, conſternationes, quæ infirmorum animos invadere ſolent, propulſantur, vel temperantur. *Deus*, inquit Tridentina Synodus *Seſs. 14. Ægroti animam alleviat, et confirmat magnam in eo divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis... facillius reſiſtit*. Per illud animi torpor, ac languor peccatis contractus extinguitur. Per illud denique corporis ſanitas, ubi ſaluti Animæ expedierit, ab infirmo recuperatur. Evellenda itaque eſt a Po-

a Populo Christiano perridicula opinio illa, quæ formidat, mortem esse Extremæ Unctionis, quasi comitem indivulsam, atque in illorum cordibus cupiditas accendenda illius suscipiendi.

II. Sacramentum hoc ex Verbis D. Jacobi sua in Epistola *Cap.* 5. eruimus: Dicit enim: *Infirmatur quis in Vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei*. Ex quo divino Oraculo hæc profluunt consectaria.

III. Primum: Extremam Unctionem verum esse novæ Legis Sacramentum. Est enim sensibile Signum a Christo Domino institutum, vimque gratiæ conferendæ habens, prout sunt cætera Sacramenta. Unde Concilium Tridentinum definivit: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum; Sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

IV. Secundum: Christum Dominum fuisse hujus Sacramenti Institutorem, Sanctumque Jacobum promulgatorem; Enim vero solus Deus salvare potest hominem, ipsiusque peccata remittere. Si igitur ex D. Jacobo mirabiles isti effectus ab hoc Sacramento emanant, proculdubio Christus Dominus illud instituit. Perridiculus quippe esset Imperatoris Minister, si subditis gratias sponderet extraordinarias, et pro certo non haberet ex-

Digitized by Google

expressam Imperatoris voluntatem illas conferendi. Hinc Meletius Syrigus in Refut. artic. Cyrilli Lucar. inquit. *Certo credimus oleum ... ab ipso Christo præscriptum: Eo siquidem Apostoli utebantur ... idemque nobis facere præceperunt ... Nec enim credibile est, paria jussuros Apostolos, nisi in mandatis a Domino habuissent ... unde manifesto sequitur nihil quidem Apostolos, præter Præcepta Domini intimasse; nihil a seipsis dixisse, quod pro humana institutione haberi possit. Sed illud tantum, quod ab ipso Deo, et Salvatore nostro Jesu, eique consubstantiali Spiritu Sancto acceperant.*

V. Tertium: Sacramentum hoc necessarium esse necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici. Necessitate quidem Præcepti divini, quia hæc est Scripturæ phrasis, ut cum imperativo modo loquitur, veluti præceptum ab Ecclesia veneretur. Sic dum dicit: *Docete omnes gentes*, prout expressum mandatum susceperunt Apostoli, et veluti onus Sacerdotio annexum conspiciunt Patres omnes. Dum inquit *Quod superest, date Pauperibus*, constans Traditio eleemosinam de superfluis præceptivam intellexit semper. Unde ajebat D. Tom. a Vill. *Conc.* 2. *in Dom.* 1. *Adv. Eleemosina divitibus non consilio monetur, sed præcepto indicitur ... Si, cum superest, non dare indigenti non esset damnabile, non utique tam acriter sententia Domini desæviret: Discedite a me maledicti, esurivi enim, et non dedistis*. Eodem ergo sensu intelligenda sunt verba illa: *Inducat Præsbyteros Ecclesiæ*. Necessitate quoque Præcepti Ecclesiastici

Sa-

Sacramentum hoc est necessarium: Ecclesia enim id jubet observari, quod jure divino præceptum est: Qua de causa Coloniense Concilium decrevit an. 1549. *privandos esse ecclesiastica sepultura, qui hoc Sacramentum contempserint.*

VI. Quartum denique: Hujus Sacramenti materiam oleum esse deducitur. Num vero valeat Sacramentum oleo non consecrato collatum Theologi in diversas abierunt Sententias. Quidam enim, prout fuerunt Emanuel Sa *V. Extrema Vnctio*, Sambovius *Tract. de Extrem. Vnct.* Juven. *de Sacram.* et alii, opinati fuere Benedictionem oleo superadditam ab Ecclesia fuisse; Quamobrem tenent Sacramentum hoc oleo non consecrato administratum illicitum quidem, at validum; cum nec ex Scripturis, nec ex Traditione, possit demonstrari necessariam esse olei benedictionem, tanquam conditionem Sacramento essentialem. Alii vero oppositam opinionem tuentur; Sed discrepant inter se in assignando subjectum, a quo fieri debeat hæc Olei benedictio. Siquidem Æstius *in* 4. *dist.* 2359. Suarez. *Disp.* 40. *Sect.* 1. *n.* 3. sustinent Olei consecrationem ita a Christo Domino Ordini Episcopali annexam fuisse, ut nec a Summo Pontifice queant Præsbyteri delegari. At consuetudo antiquissima apud Græcos a Romanis Pontificibus non semel approbata, quod Presbyteri cum se accingunt ad inungendum infirmum, oleum adhibendum benedicant, priorem sententiam labefactat penitus, atque evertit.

VII. Quidquid sit de Scholasticis Disceptatio-

tionibus, hoc quidem certum, ac inconcussum est apud omnes Catholicos, Oleum præsanctificatum esse debere. Rationem affert D. Thomas, quia inquit 4. *Sent. Dist.* 23. *quæst.* 1. *Sacramenta illa, quibus ipse* (Christus) *est usus, habent efficaciam ex suo usu; sicut tactu suæ carnis vim generativam contulit aquis. Sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione; Et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ.* Num vero particularis hæc Olei benedictio spectet ad Episcopum, aut ad simplicem Sacerdotem, deficiente Scripturarum face, præsto est Ecclesiæ praxis, atque constans traditio, quæ satis ostendit officium hoc apud latinam Ecclesiam solis Episcopis reservari, ut probant omnes passim Libri Rituales, nec ullum reperitur simplicis Presbyteri exemplum, cui commissum fuerit, etiam absente Episcopo, Olei consecrandi ministerium; Unde Tridentína Synodus declarat *Sess.* 14. *Intellexit Ecclesia, materiam* (hujus Sacramenti) *esse oleum ab Episcopo benedictum*; In Ecclesia vero Græca morem vigere antiquissimum Oleum a simplicibus Presbyteris benedici, ut legitur in ipsius Euchologio. Quem usum inter alios Decreto suo approbavit Summus Pontifex Clemens VIII., quo permittit Italo-Græcos in pærdicto ritu perseverare: *Circa oleum sanctum Infirmorum,* inquit, *non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis latinis Diæcesanis accipere; cum ejusmodi Olea ab eis, in ipsa oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur.*

VIII. Hisce jactis fundamentis sua veluti sponte fluit: Oleum Extremæ Unctionis natura sua exposcere præsanctificationem, quia teste Angelico Doctore hæc est unica illa materia, quam Christus Dominus non adhibuit, ac per consequens usu non sanctificavit: Ergo Silverius Capellanus Sacramentum non confecit, utpote materia non consecrata collatum. Hinc S. Carolus Borromæus *in Instruction. de Extrem. Unct. Si per errorem*, inquit, *Sacerdos aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut Catechumenorum sit; Ut erratum emendet, olei Sacri, quod proprium Infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret.*

XI. Item: Ecclesia latina non aliud Oleum, quam consecratum, in administratione Extremæ Unctionis adhibuit semper. Quapropter ab antiquis Scriptoribus *Sanctum*, benedictum, sanctificatum passim fuit appellatum. Unde Gregorius Magnus in Sacramentario inquit: *Offertur Pontifici oleum, et benedicit illud*. Innocentius I. *Tom.* 2. Concil. statuit infirmos perungendos esse *sancto oleo . . . . ab Episcopo confecto*. Concilium Cabillonense II. præcipit: *Infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur a Presbyteris ungi debent*; Et tandem Tridentina Synodus *Sess.* 14. de Extr. Unct. *Cap.* 1. declarat: *Intellexit Ecclesia, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum*. Atqui recedere a constanti Ecclesiæ præscriptione, non inviolate servare in Sacramento-

rum

Digitized by Google

rum adminiſtratione, quod Eccleſia generaliter celebrat, nefas eſt: Ergo Parochus ſine temeritatis nota, et abſque graviſſimo peccato non potuit hanc Eccleſiæ Diſciplinam infringere.

Diſquiſitio Secunda.

Laymannus ægrotus in ſummo vitæ diſcrimine exiſtens non curat ſuſcipere Extremæ Unctionis Sacramentum, quia ſibi perſuaſum eſt nullum extare præceptum, utpote Sacramentum ad ſalutem non neceſſarium; Hermannus et Eſcobar ejus Filii nullum movent lapidem, ut Pater hoc Sacramento muniatur, ne aſpero Mortis nuncio contriſtatus, citius occumbat.

Quæritur. 1. Quid jure ſtabiliendum de Laymanno? 2. Quid de ejus Filiis?

RESOLUTIO.

I. HÆc eſt deploranda noſtræ ætatis conſuetudo, ut unuſquiſque in rebus ad Religionem ſpectantibus in proprio ſenſu ſtudeat abundare. Hæc eſt luctuoſiſſima noſtri temporis mollitudo, ut Chriſtifideles ad ſolam Extremæ Unctionis vocem, tanquam ad fatale nuncium perhorreſcant. Hæc eſt funeſta animi cæcitas noſtri ævi, ut divinum hoc remedium a Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtitutum ad hoc, ut in magnis morbi moleſtiis relevemur, ut facilius de hoc mundo demigre-

Digitized by Google

migremus, ut corporis quoque morbo, si ita expedit, sanemur, nobis applicari vix patienti animo feramus. Hinc evenit, quod multi occumbant, quin accincti in difficillimo bene moriendi negotio existant. Hac nostra igitur ætate adamussim quadrat exprobatio, quam de sui temporis Fidelibus reliquerunt Patres Concilii Burdigalensis, dicentes: *Curet Parochus crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani, et impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus Sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si mortem ægris acceleret; cum certum sit ex Apostoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus Sacramenti salutem conferre.*

II. Paulus Layman extinctæ Societatis Jesu Theologus postquam octies suis in Scholis Tractatus omnes Morales percurrit, anno denique 1630., ad Casuistarum tramites in unum collegit, typisque vulgavit. Hoc in Volumine *Lib. V. Tract. VIII. Cap. VII.* asserit, *communem esse Doctorum sententiam nullum esse præceptum suscipiendi Sacramentum Extremæ Unctionis propterea quod ad salutem necessarium non sit; quamvis sine causa, et per solam negligentiam intermittere videtur esse peccatum veniale, cum sit quædam incuria, seu prodigalitas spiritualis boni.* Et deinde subdit: *Quod dictum est de ipso infirmo, similiter sentiendum est de iis, qui infirmi curam gerunt, si Extremam Unctionem iis procurare sine rationabili caussa intermittant, non peccare mortaliter.* Ex quo

fonte

fonte bibens Hermannus Buſsembaum docuit *Lib. VI. Tract. V. Cap. 2. Non ſuſcipere hoc Sacramentum per ſe loquendo, ſecluſoque ſcandalo, et contemptu non eſt peccatum mortale*; *Multo minus peccant mortaliter Domeſtici, ſi id non procurent*. Cum autem Caſuiſticum, probabiliſticumque hoc genium Catholicorum animos ab illa ætate undique pervaſiſset, nil mirum ſi hac noſtra tempeſtate barbarorum illorum temporum reliquiæ adhuc ſerpere videantur. Conſulto idcirco Auctores hujuſmodi confutandos hac in Diſquiſitione ſuſcepimus, ut a Populo Chriſtiano quamcumque laxitatis ſpeciem radicitus averruncamus.

III. Ideo igitur Laymannus ſuſtinet infirmum negligendo inducere Presbyterum, ut Extremæ Unctionis Sacramentum ſuſcipiat lethaliter non peccare, quia, inquit, præceptum non extat de illo ſuſcipiendo, nec ad ſalutem neceſſarium eſſe autumat. At nos ſuperiori in Diſquiſitione n. V. demonſtravimus verbum Jacobæum: *Inducat* præcepti, non conſilii rationem præſeferre. Et revera hæc ſemper fuit Eccleſiæ declaratio erga Sanctiſſimum hoc Sacramentum. Synodus enim Lingonenſis ann. 1404. inquit: *Quia hoc Sacramentum tunc datur, cum infirmitas mortalis videtur, propterea frequenter infirmi aliqui de morte dubitantes illud recuſant recipere, vel differunt quantum poſſunt, et in tantum, quod morte præveniti recedunt abſque Sacramenti receptione: Idcirco debent per omnes honeſtas vias induci ad recipiendum, et debet eis dici, quod ſi recuſent, vel diffe-*

differant recipere, ex eo quod contemnunt Sacramentum, peccant mortaliter, et graviter. Et licet dicant, quod non faciant ex contemptu, debet tamen dubitari, ne malignus Spiritus eos extrahens in extremo decipiat. Synodalia Ecclesiæ Remensis: *Sæpe moneant Sacerdotes populum, quod priusquam decimum quartum annum compleverit, maxime Sacramentum Extremæ Vnctionis petant, et recipiant reverenter, si timeatur verisimiliter de morte infirmorum, quia necessarium est ad salutem istud Sacramentum, si possit haberi.* Coloniensis anno 1536. *Est unctio impendenda cum expositione . . . Mandati Apostolici.* Et tandem, ut cætera omittam, Tridentinum Concilium *Sess.* 14. *Cap.* 3. *Nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Vnctionem . . . nec Mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habere.* Ex quibus omnibus hoc efformamus argumentum. Ecclesia magis audienda est, quam privati alicujus Doctoris opinamentum: Atqui Ecclesia diserte agnovit Extremam Unctionem *ut mandatum Dei*, ut *mandatum Apostolicum*, ut *Sacramentum necessarium ad salutem*, et negligentiam illud recipiendi lethalis delicti incusare non renuit; Ergo Laymanni cæterorumque id generis Theologorum Opinio contendentium nullam esse Extremæ Unctionis necessitatem, nullumque Præceptum Scripturæ Oraculo, Ecclesiæque Traditioni adversatur.

IV. Hermannus vero a peccato mortali excusat eos, qui Extremam unctionem omittunt, dum-

dummodo tamen id ex contemptu non proficiscatur. Atqui trium dierum Theologi norunt contemptum esse voluntariam alicujus rei omissionem, quam facillime obtinere possumus, et obtinere negligimus. Ubi ergo ignavia est, oscitantia, et habitualis neglectus, contemptus quoque sit oportet. Laymannus igitur, ac Ermannus quoque et Escobar ejus Filii manifestissimum præbent erga hoc Sacramentum contemptus signum; ergo ex ipsorum etiam sententia gravis delicti rei decernuntur.

V. Tandem: Illi omnes lethaliter delinquunt, qui tenentur subministrare Infirmis cum morte luctantibus, quæ ad salutem Animæ, aut corporis sunt necessaria; et tamen subministrare negligunt. Atqui Filii Laymanni tenentur curare, ut Pater Extremæ Unctionis Sacramento illo in articulo roboretur, quia ex Tridentino Concilio gratiæ habet promissionem. Etenim si Filii semper solliciti esse debent de Animæ, Corporisque Parentum salute; multomagis in mortis articulo studium hoc tenentur ostendere. Ergo illorum ignavia a delicti gravitate immunis non est adjudicanda.

IN

Digitized by Google

IN MATRIMONII SACRAMENTUM.

Disquisitio Prima.

Rodulphus Parochus cum Die Festo promulgationem inadvertenter prætermisisset, Festo sequenti, reclamantibus Sponsis, bis, nempe, et in Missa, et in Vesperis denunciavit: Ptolomeus vero alter Parochus tertia omissa publicatione, inscio Episcopo, Sponsos conjunxit.

Quæritur. 1. Cur introductæ sint præfatæ Publicationes? 2. An Uterque Parochus peccaverit, ac in quamdam inciderit Censuram? Et quatenus affirmative; 3. Quæritur, an simplex Confessarius possit illos absolvere? 4. Denique num valida recensenda sint hujusmodi Matrimonia?

RESOLUTIO.

I. DEnunciationes Matrimonio præmittendas esse apertissime sacri Canones ostendunt; Ipsasque ab antiqua Christianorum consuetudine traxisse originem ex Ecclesiastica Historia perspicuum est quam maxime. Quippe antiqui Fideles cum de ineundo Conjugio deliberarent, Episcopos, Sacerdotesque consulebant; atque ex eorum arbitrio vota sua moderabant, ne forte imprudenter implicarentur. Denunciationum istarum meminisse Ter-

tul-

tullianum contendunt quamplurimi, cum *lib.* 2. *Cap.* 9. Ad uxorem scriptum reliquerit: *Unde sufficiamus ad enarrandam publicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet?* Hinc *Angelorum* nomine Tertullianum Sacerdotes intellexisse, et per verbum *renunciant* futuri Matrimonii Proclamationes, arbitrantur. Ut cumque res sit, hunc Proclamationum usum pervetustum esse in Ecclesia extra omnem dubitationis aleam est. Concilium enim Lateranense IV. anno 1215. celebratum hæc habet: *Specialem quorumdam Locorum consuetudinem, ad alia generaliter prorogandam, statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, et valuerit, legitimum impedimentum apponat. Et ipsi Presbyteri nihil minus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat.* Quam Concilii Lateranensis Sanctionem instauravit, confirmavitque Synodus Tridentina *Sess.* 24. *de Reform. Cap.* 1. hisce verbis: *Sacri Concilii Lateranensis, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inherendo, præcipit,* (Sancta Synodus) *ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.*

II. Hinc dicimus primo Publicationes istas ab Ecclesia fuisse præscriptas, ut si quis aliquod im-

Digitized by Google

impedimentum inter Contrahentes agnosceret, posset illud ante Matrimonii celebrationem Præsulibus Ecclesiæ manifestare. Ita expresse eruitur *ex Cap. cum inhibitio 3. de Clandestinis desponsationibus* §.1.; Ex prælaudato Tridentino Concilio; necnon et ex Ecclesiæ praxi.

III. Quid vero de ambobus hisce Parochis sit adjudicandum? Distinguendum esse duximus. Nempe, Vel ita agendum fore arbitrarunt ab aliqua gravi necessitate obstricti: Vel non. Si primum, cum denunciationes ad Matrimonii solemnitatem, non vero ad ejus substantiam pertineant, norunt omnes, quod interveniente aliqua gravi necessitate, cesset Legis obligatio ad bonum regimen promulgatæ; ac per consequens concludendum prælatos Parochos nec in peccatum, nec in excommunicationem incidisse. Unde Anacletus Reinffestuel *lib. 6. Decretalium Tit. 3. de Clandestina Dispensatione* §. 1., *et de Denunciationibus n.* 57. inquit: *Quamvis Parochi in Denunciationibus vere dispensare nunquam valeant, possunt tamen sine Denunciationibus Matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in casu, quo dispensatio necessaria est ad bonum prolis legitimandæ, aut ad evitandum periculum infamiæ Matrimonii malitiose impediendi, et in omnibus casibus, in quibus Episcopus tenetur dispensare.*

IV. Sin autem absque urgenti necessitate hoc fecerunt, gravis culpæ rei effecti sunt. Qui enim grave spernit, pessumdatque præceptum, graviter delinquit; cum gravitas materiæ veluti una ex

con-

Digitized by Google

conditionibus peccatum lethale constituentibus ab omnibus dignoscatur: Sed præfati Parochi grave spreverunt præceptum; unus, nempe, duas denuntiationes eodem die faciendo, dum Synodus Tridentina, ut tribus continuis festivis diebus peragantur, mandat, ac præcipit: Alter autem bis, non ter denunciando, ut ipsamet exigit Synodus; Ergo graviter deliquerunt.

V. Item in pœnas Suspensionis ab officio per triennium, aliasque ad arbitrium Judicis inferendas incidisse colligimus ex relato Cap. *Cum inhibitio* §. *Sane*, ubi legitur: *Sane si parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur*. Ad quam tamen incurrendam Judicis sententiam debent expectare, cum hujusmodi suspensio sit ferendæ Sententiæ, prout satis liquet ex verbo: *Suspendatur*.

VI. Cum autem Suspensio sit illud Censuræ genus, quo Clericis ob proprium delictum ecclesiasticæ potestatis, et jurisdictionis usus interdicitur, itaut dum est ab officio tantum, vetet solummodo Clericum exercere universa ecclesiastica Officia, quæ vel ab Ordine, vel a jurisdictione pendent: Satis constat per illam Clericum non repelli ab iis, quæ etiam Laicis sunt communia, uti sunt ingressus in Ecclesiam, publicæ præces, Sacramenta. Quapropter deducendum est præfatos Parochos absolutionis Sacramentalis capaces esse, quamvis Judex in eos Suspensionis sententiam

pro-

Digitized by Google

pronunciaviſſet; ac proinde quemlibet ſimplicem Confeſſarium a culpa abſolvere poſſe; cum talis culpa nullibi inveniatur reſervata. Hoc vero dicendum minime eſt de Suſpenſionis abſolutione, quippe quia, ut omnes ſentiunt, ſuſpenſio relaxari debet ab eo, qui eamdem inflixit; qua de cauſa cum dictæ Suſpenſionis tempus ſit a jure determinatum, nedum ſimplicem Confeſſarium, verum quoque nec Epiſcopum ab illa intra triennium ſolvere poſſe dictos Parochos exiſtimamus: Elapſo tamen triennio, ipſo jure expirare, neque opus habere hominis Sententia, a qua removeatur, dicimus.

VII. Valida tandem eſſe præfata Matrimonia eruitur ex Sacræ Congregationis Concilii decreto a Boſco relato, quod ſic ſonat: *Sacra Congregatio Concilii cenſuit Matrimonium contractum, non præmiſſis denunciationibus, niſi aliud obſtet, irritum non eſſe*. Et ſane ut valida ſemper habuit Eccleſiæ praxis, et Tridentina Synodus declaravit quidem clandeſtina Matrimonia ſine Parochi, Teſtiumque præſentia contracta nulla eſſe; ſed Matrimonia abſque Denunciationibus celebrata ut irrita nunquam adjudicavit.

Diſquiſitio Secunda.

Mævius, et Lelia ſimul convenerunt in occiſione ipſius Leliæ Mariti; hoc vero unico motivo, ut, nempe, facilius inter ſe amicitiam nutrirent, faciliuſque luxuriæ indulgerent: Poſt occiſionem ta-

men in se reversi, facti sunt de tanto facinore pœnitentes; Sed simul matrimonio copulari peroptant.

Quæritur: An licite possint; Et quid dicendum si jam Matrimonium sit secutum?

RESOLUTIO.

I. Quod Deus conjunxit, homo non separet, inquit Christus Dominus *Math. Cap.* 19. Qua de caussa in Matrimonii Sacramento tam stricta intercedere debet Virum inter, ac Mulierem connexio, ut ipsi, relicto quoque illo, qui genuit, qui principium est vitæ, qui tantis curis ad maturam preduxit ætatem; ac relicta quoque illa, quæ tot ærumnis concepit, tanto dolore peperit, tanto amore de propria lactis substantia educavit; debent sibi mutuo tali fudere adhærere, quod Mors sola dissolvat, atque disrumpat. Hæc perpetua unius Vitæ Societas Maritum inter, ac Uxorem semper perspecta fuit tamquam basis, ac fundamentum Matrimonii, etiamsi ad Sacramenti Naturam evectum non fuisset, prout Adam ipse testatus est dicens. *Quamobrem relinquet homo Patrem, et Matrem, et adhærebit Uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Quanto magis fulgere debet ista Societas, amor iste inter Conjuges Christianos, cum Matrimonium elevatum sit a Christo Jesu, ut magnum sit Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia representativum? Hanc vero Matrimonii Naturam pessumdat penitus Lelia

lia nostra, dum ausu temerario in innoxii Mariti necem unacum Mævio ruit, ad facilius ostendendos Mævio proprii Cordis affectus, qui soli proprio suo Marito debebantur.

II. Nihilo tamen minus dicimus præcise loquendo Mævium inter, et Leliam Criminis impedimentum non insurgere. Nam ad incurrendum criminis impedimentum requiritur Uxoricidium, vel Mariticidium ex prævia conspiratione, eoque animo patratum, ut post illius Mortem, Conjux superstes celebret Matrimonium cum Persona, quæ in præfatam mortem conspiraverit. Ita exigunt Canones omnes; Signanter *Cap. Si quis vivente* 31. q. 2. *Et Cap. laudabilem de Conversione Infidelium*, et alibi: Sed Mæviuminter et Leliam Animus iste se invicem conjungendi in Matrimonium non adfuit; Ergo nequidem adesse potest impedimentum.

III. Pariter: Caussa ex qua præfatum emanat impedimentum est homicidium cum adulterio; Nempe, quando Conjux adulter, quamvis solus, perpetrato adulterio, suum, vel alterius interficit Conjugem animo, ac intentione nubendi cum Adultero quamvis inscio. *Ex Cap. Super hoc. Et ex Cap. Significavit nobis de eo, qui duxit*. Igitur ad incurrendum impedimentum Criminis requiritur quod mortis illatio sit ob intentionem nubendi cum Adultero: Atqui hæc circumstantia non est Mævium inter, et Leliam; Ergo nec impedimentum.

IV. Cum igitur præfato in casu ea non concur-

currant, quæ a legibus requiruntur ob criminis impedimentum; sequitur tale impedimentum Mævium inter, et Leliam non insurgere; ac proinde licite contraere possunt inter se Matrimonium, vel si jam contractum est in ipso persistere. Sed a Confessario diligenter inquirendum est, num inter ipsos intercesserit nec ne in occisione aliqua nubendi intentio, ut recte istorum conscientiæ valeat consulere.

Disquisitio Tertia.

Dubitat Tiburtius Uxorem suam adulteria perpetrare, quia nunqnam a quadam stricta Amicitia cum alio Viro potuit revocare. Hinc divortium facere cogitat, consiliumqne de hoc a Confessario petit?

Quæritur 1. Quodnam sit discrimen Divortium inter, et repudium, et num utrumque sit licitum? 2. Quale erit Confessarii consilium?

RESOLUTIO.

I. HOdiernam consuetudinem mutuæ conversationis, familiarum colloquiorum, aliarumque illecebrarum Uxores inter, et Maritos alienos attente perpendere, lacrimasque insimul comprimere, viris pietate præditis prorsus est impossibile. Novum enim promiscuæ conversationis morem diram esse hac nostra tempestate pudoris, verecundiæ, modestiæ, et castitatis pestem, Familiarum ruinam,

Digitized by Google

nam, divitiarum jacturam, matrimonialis thalami contaminationem, dissidiorum inter Conjuges occasionem, omniumque fere christianarum virtutum exterminium Scriptura nos prævenit, Patres suadent, ratio dictat, experientia quotidiana demonstrat. Enim vero, ubi quæso sunt aurea illa priscorum tempora, quando unusquisque sub *vite sua*, et sub ficu sua recumbere contentus erat? Heu quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Nostris hisce temporibus Mulierculárum cupiditas varia congerendi munuscula, quibus luxum, fastum, superbasque pompas valeant ostentare; necnon et insita ipsarum concupiscentia eo devenit, ut ab alienis Viris inserviri permittant, cum istis fidenter ludere, amice illos alloqui, insimulque ea agere, quæ palam omnibus sunt, minime recusent, ipsorumque obsequia, ne dicam adorationes capiant, ab ipsis amari, suspici, et videri laborent, floccique faciant illam D. Hieronymi admonitionem: *Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, et pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit*; Ac tandem in sacrosanctis Matrimonii legibus labili consistentes pede, sub vite, et ficu aliena effreno impetu accumbere non reformident. O tempora! O Mores! Proprii Mariti vident, Familia erubescit; Pusilli admirantur, Republica tristia patitur damna, Sanctuarii Ministri ægre ferunt, Civitas die noctuque obmurmurat; Hæ tamen effrontes mulieres proprium sequuntur ingenium! Proprium sequuntur ingenium? Imo insipientes illud

illud quorundam, ut *Prov. 9.* legitur, dicunt in corde suo: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior*. Proh Superi! Quam turpis, quam deformis, quam monstrifica est nostrarum Mulierum conversatio! Minores profecto in Deum committerentur offensæ, atque tanta non cogeremur experiri divinæ Justitiæ flagella, si Sapienti a longe saltem attenderent, qui ipsis præcipit dicendo: *Bibe Aquam de cisterna tua* (non de aliena), *et fluenta putei tui* (non alieni) *deriventur*. En fatalis origo, ob quam Tiburtius, et quotquot sunt hujus generis Viri Divortium exoptant.

II. Divortium igitur ita dicitur, vel a diversitate mentium eoquia Conjuges disrupta cordium charitate maritalem affectum a seipsis divertunt, *ut l. 2. ff. de Divortiis* habetur; Vel quia distrahentes se a statu matrimoniali in diversas partes eunt; hinc Divortium significare divisionem recte concluditur, juxta illud Tertulliani de anima, qui dixit: *Mortem nihil aliud esse, nisi Animæ, et Corporis divortium*; Vel tandem, quia ut perbelle notat Gonzalez in Comment. ad Cap. V. de Divortiis, Græci vocant Divortium *Diesion*: Diesion autem sonus est musicus, qui diapason, et harmoniam separat. Idcirco cum Conjuges unius perfectæ harmoniæ inter se locum obtineant, si divortium faciant, et ab invicem separentur, dicuntur facere *diesion*, nempe, interrumpere perfectissimam illam harmoniam, quæ auditur inter Conjugatos mutuo amore seipsos prosequentes, et tam in prosperis, quam in adver-

sis

sis in eodem amore constantes, *ut l. Si cum dote ff. soluto Matrimonio*, legitur.

III. Hinc ut in aperto ponam Divortii Notionem una cum Theologorum omnium turba dico, ipsum nil aliud esse, quam legitimam Viri ab Uxore, vel Uxoris a Marito separationem; quæ separatio sicuti tripliciter accidere potest, ita et triplex divortium internoscitur. Unum scilicet quoad vinculum Matrimonii, ad effectum, ut conjuges aliis nubere queant. Talia erant Hæbreorum Divortia, necnon Romanorum, qui post sexcentos circiter annos ab Urbe condita exercendi talia divortia initium dederunt. Alterum quod fit de Matrimonio rato, et non consumato per religiosam Professionem. Tertium tandem est illud per quod Conjuges non quoad vinculum separantur, sed vel quoad thorum solummodo, vel quoad thorum et cohabitationem simul, eodem tamen vinculo permanente; itaut Conjugibus sic per divortium separatis, ad alias nuptias transire, nisi eorum uno per mortem sublato, minime permissum sit. Primum cum Repudio promiscue usurpatur, solo adveniente discrimine, quod Divortium Virum inter et Uxorem fiat: Repudium vero Sponsas mittere tantummodo permittat.

IV. Num vero utrumque sit licitum secundo lôco inquiritur. Hinc facessit observare quod Gentes sicuti quæcumque Connubia habuerunt semper ac meram, simplicemque pactionem virum inter et mulierem initam, qua corporum, bonorumque

Digitized by Google

rumque communione mutuo consociarentur; idcirco quemadmodum mutuo consensu constare illa; ita divortium mutuo partium decedentium consensu induci posse, autumarunt. Ex hoc autem apud illud ipsos consequebatur, ut divortium tamquam naturali jure singulis permissum licitum sibi quacumque demum ex causa ducerent; quo semel facto utrique parti nova inire connubia, novisque Legibus alterum sibi conjugem adsciscere, integrum erat. Verum si Religionis etiam partes in iis Connubiis spectentur, quæ sane Religio juxta Dei consilium vinculo quodam indissolubili in unam divini, humanique juris Societatem Conjuges jungit; tunc prorsus quod Matrimonium rite contractum dissolvat, nihil est, atque Divortii libertatem, qualis apud Paganos obtinebat, tamquam Legis a Creatore sancitæ violationem habendam esse, constat quam maxime. Gen. enim *Cap.* 2. *V.* 24. legitur: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhærebit Uxori suæ, et erunt duo in carne una*. Ad Corinth. 1. *Cap.* 7. *v.* 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Domiuus, Uxorem a Viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut Viro suo reconciliari*. Concilium Tridentinum *Sess.* 24. de Matrimonio *Cap.* 1. hæc habet. *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*. Tandem Christus Dominus Phariseis asserentibus licitum esse

Uxoris

Uxoris repudium, respondit *Math. Cap.* 10. *v.* 8. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere Uxores vestras: Ab initio autem non fuit sic.* Ex his igitur quis non videt matrimonialis vinculi perpetuam indissolubilitatem; ac per consequens quis inficias ibit, nunquam licitum fuisse divortium primo modo acceptum, seu Repudium?

V. Divortium tamen tertio modo consideratum licitum esse legitima interveniente caussa dubitare non possumus, postquam Tridentini Patres *Sess.* 24. de Matrimonio *Can.* 8. statuerunt: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas caussas separationem inter Conjuges, quoad thorum, et cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; Anathema sit.* Inter caussas licitum tale reddentes Divortium Adulterium quoque connumeratur. Quandoquidem per istud promissa frangitur fides, injuste caro dividitur, et histhæc divina Lex: *Erunt duo in carne una* temere violatur. Ideo quapropter Scripturas suppliciis plenas videmus, Onam subita morte percussum, Urbem Sichem deletam, Tribum Benjamin cæsam, Ammonem interfectum, Salomonem idolatram factum, Davidem plures in Regno suo clades perpessum; ut quam sit enormis hujusce promissæ fidei fractio omnibus palam fiat.

VI. Verum vero cum in casu non de Adulterio, sed ipsius suspicione agatur; ideo quid, et quotuplex sit ista suspicio videndum superest. Suspicio igitur est quædam rationabilis conjectura

Digitized by Google

ra rei dubiæ collecta ex argumentis, et indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Quæ circumstantiæ si tales sunt, ut vehementer moveant Judicis animum ad credendum, qualis esset, si Mulier undecimo Mense post Mariti obitum peperisset, suspicionem violentam efformant, ac suspicione violenta præsumitur præfatam Mulierem ex fornicatione peperisse: si vero minus urgentes sunt circumstantiæ probabilem efformant suspicionem; quapropter de illa muliere, quæ sæpe obscuris in locis cum Iuvenibus, et Uxoratis versatur, probabili suspicione præsumitur ipsam Virginem non esse. Tandem levis, seu temeraria est suspicio, quæ ex levibus, insufficientibusque indiciis ortum habet.

VII. Hinc priusquam Confessarius Tiburtii adhæreat desiderio, tenetur Caussam diligenter inspicere, et perscrutari, ne forsan Viro nimis indulgens, consulat ea, quæ majora scandala possunt efformare. Quapropter si Tiburtius habet de sua Uxore violentam suspicionem, ac de facili valeat hoc juridice ostendere, Confessarii judicium erit, quod petat divortium. Secus quod patientia, oratione, et exhortatione die noctuque apud propriam instet Uxorem, ut tali methodo Mulier infidelis per virum fidelem sanctificetur.

Disquisitio Quarta.

Eugenius adulterium quadam cum Muliere patravit, quia ipsius Vxor sæpe debitum ei reddere de-

detrectat. Hinc, detecta hac infidelitate, Uxor tumet rabie, ac separationem quoad thorum expoſcit ab illo.

Quæritur: An Uxor jure præfatam petat separationem?

RESOLUTIO.

I. JAm demonstravimus alibi Matrimonium esse perfectissimum Societatis fœdus; quoniam conjuges duo sunt in carne una. Qapropter quoad viri, et Uxoris Corpora jura omnia, ac Leges strictim observanda sunt, quæ in Contractu Societatis præscribuntur. Hinc quemadmodum Sociorum jura super aliquod negotium sunt æqualia, ac communia, itaut si vel aliquantulum mutuus Sociorum consensus deficiat, contractus funditus evertatur oportet; ita unusquisque Conjugum æquale jus in Corpus alterius habet, quod ex toto deturbatur, cum unus Conjugum pro suo arbitrio Corpus suum disponere tentat. Merito quapropter Christus Dominus Math. *Cap. 19. v. 9.* definivit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, ni si ob fornicationem, et aliam duxerit, mechatur, et qui dimissam duxerit mechatur. Et Cap. 5. V. 32. Dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Ex Christi Domini igitur Oraculo Adulterium est illud unicum, quod matrimoniale vinculum penitus disrumpit, quod privat Adulterum jure

jure suo, quo potiebatur super alterius Conjugis Corpus, quod denique viam monstrat separationi; quia adulterium jura Conjugis innocentis evertit, ac Matrimonii naturam, atque indolem distorquet.

II. Diximus Matrimonium adulterio abrumpi, quia per illud læditur fidelitas illa, qua veluti perpetuo nexu ex Viro, ac Muliere unum Corpus compactum fuit. Attamen duplici de causa adulterium potest evenire: Culpa nempe ipsius adulteri tantum; Et culpa utriusque Conjugis. Culpa ipsius adulteri est cum de propria Uxore non expleta libidine, per pratus alienos sua luxuria nititur pertransire. Culpa vero utriusque, quando scilicet Maritus ad fornicandum a propria Uxore impellitur. Hinc quemadmodum Contractus Societatis ut abrumpatur exigit, quod Sociorum unus proprio marte in ipso contractu operetur, Socio altero inscio, aut contradicente; ita in casu nostro ut sit licitum inter Conjuges divortium adulterium quod inscia ac invita Conjuge a marito sit patratum oportet, hoc est sine propriæ Uxoris culpa.

III. Invita Uxor in Mariti adulterio, sicut unus Sociorum in Societatis Contractus operatione inscius, et contradicens, duobus modis existere potest, nempe, rationabiliter, et irrationabiliter. Tunc rationabiliter invita dicitur Uxor cum toties debitum conjugale reddit, quoties expresse, aut tacite, moderate tamen et sine peccato Maritus serio exposcit, et si negat, ad hoc se inducit vel quia timet grave damnum mortis, infirmitatis,

tis, aut prolis, vel quia videt maritum morbo contagioso infectum, aut ipsa solet fœtus mortuos edere; uno verbo, cum copula est illicita. His enim in casibus jura Mariti minime lædit, ac per consequens si Maritus ad alias accedit Mulieres non propriam Uxorem, sed suam immoderatam intemperantiam debet incusare. Tunc autem Uxor de Mariti adulterio est irrationabiliter invita, quando sine gravi necessitate debitum reddere detrectat, uti esset, si negaret ad evitanda ordinaria puerperii incommoda, familiæ multitudinem, vel causa levis infirmitatis, doloris capitis, aut stomachi. Cum enim incommoda ista sint fere omnibus communia, non potest Uxor absque piaculo denegare Viro suo expresse poscenti, quod jam jure suum est.

IV. Ex his igitur pro Casus resolutione distinguendum duximus. Aut Uxor Eugenio viro suo debitum petenti irrationabiliter detrectat obedire; aut rationabiliter. Si rationabiliter, culpabilis censenda non est, ac perconsequens jus ad separationem per ejusdem viri sui adulterium non amisit. Si vero irrationabiliter, tunc in causa est adulterii proprii mariti; ac per consequens quatenus sua detrectatione illi adulterio cooperavit jus petendi separationem non acquisivit. Divortium etenim inter Conjuges conceditur in favorem innocentis. Hinc Theologi omnes uno ore fatentur, Conjuges sejungi non posse in casu, quo unus illorum alterius adulterio cooperaverit. Accedit Doctoris Angelici Sententia, quæ assertionem appri

prime comprobat. En S. Doctoris verba *supplem. quæst 62. art. 1. Septem sunt casus, in quibus Vir non potest ob causam fornicationis Vxorem dimittere*, (quæ dicuntur de Viro Uxori debent utique aptari, quia jura sunt utrique æqualia) ... *Tertius Casus est, quando ipse occasionem ei dedit fornicandi, eo quia noluit ei reddere debitum*. Hæc, quis non videt, perspicua sane esse ad expositam enodandam difficultatem?

Disquisitio Quinta.

Porphirius exponit Confessario iræ indulsisse, necnon et manus violentas in Personam Ecclesiasticam injecisse, quia propriam Vxorem hac cum Persona in adulterio deprehendit; Hinc Confessarius Porphirio suadet se teneri ad separationem ab Vxore sua, adeo ut si illam non derelinquat lethalis culpæ reus efficiatur

Quæritur 1. *Vtrum Confessarii sententia sit amplectenda?* 2. *An Porphirius excommunicationis laqueo innodatus extiterit?*

RESOLUTIO.

I. A*Liud est*, inquit Augustinus *lib. 1. de Conjug. Adult. Cap.* 18. *Domini jubentis imperium, aliud conservi secundum misericordiam charitatis, quæ est illi a Domino inspirata, atque donata, fidele consilium. Ibi aliud facere non licet, hic au-*

tem

Digitized by Google

tem licet, ita sane, ut ipsum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat. Expedit nunc, quando non solum per justitiam, quæ coram Domino est, permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur; velut cum dat consilium non nubendi Apostolus Virgini, unde præceptum Domini se non habere testatur; licet aliud facere, idest, nubere, et minus quam continentiæ, bonum tamen tenere Nuptiarum. Ipsumque licitum etiam expedit; Quoniam in vetita, et illicita ruituram carnis infirmitatem sic excipit honestate nubendi, ut neminem impediat ad salutem, quamvis magis expediret, magisque honestum esset, si Virgo consilium, quo præceptum eam non impellit, arriperet. Tunc autem non expedit id, quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis. Ex hac Augustini regula sua sponte profluit aliud esse præceptum, et aliud consilium. Vi enim præcepti ita ad illud adimplendum adstringimur, ut sine piaculo illius custodiam tergiversare non possimus. Non ita vero de consilio dicendum. Quamvis semper bonum, dari tamen potest, ut ob aliquam circumstantiam supervenientem melius sit ipsum prætermittere. Prout in consilio de Virginitate servanda ostendit Apostolus dicens: *melius esse nubere, quam uri*.

II. Hinc divortium ex adulterio proveniens consilio, non præcepto permissum fuit a Christo Domino. *Dixit enim: Quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit;*

rit, *mæchatur*. Quæ sane Christi Domini verba divortium ob fornicationem licitum significant, non præceptum, prout Patres omnes explicant. Ut igitur Confessarius divortium suis pœnitentibus recte suadeat, onus ipsius erit diligenter circumstantias omnes introspicere, quæ ex ipso quodam in casu particulari provenire facile possunt. Porro divortium permittitur quidem ad ulciscendam injuriam illatam, necnon eximendum Virum innocuum a peccati cooperatione. At si aliquo in casu Uxor adultera de suo peccato emendata inspicitur, nonne charitati conformius est injuriam adulterio allatam ex animo depellere, quam vindicare? Nonne majus bonum est adulteram pœnitentem retinere, quam a thoro dimittere? Divinum quoddam sapit parcere inimicis. Ignoscere offensiones Christus Dominus nos et docuit, et fecit. Veniam proximo dare unicum est argumentum, quod solari nos potest ante Tribunal Christi. Quisque itaque conspicit hoc in casu toto pectore, et animo veniam Uxori adulteræ dandam esse, ac divortium seponendum.

III. Pro primi quæsiti igitur resolutione distinguendum duximus, aut Porphirii Uxor est in adulterium lapsa, sed emendata; aut adhuc in adulterio perseverans. Si secundum, en divortium peragendum; en casus, in quo urget Christi Domini consilium, en quando Canones divortium exigunt, ne pars innocens patrona turpitudinis, et lenocinii rea habeatur; et hoc in casu inquiebat D. Hieronymus Comment. *in Cap.* 19. *Mathæi*,

thæi: Cum Uxor unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a Marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat esse, dicente Scriptura: Qui adulteram tenet, stultus est, et impius. Hinc in Arelatense Concilio expresse decernitur: *Si vir sciens Uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permaneat in fornicatione, vixerit cum illa; reus erit, et ejus peccati particeps.* Si vero primum nullimode tenetur ad separationem, quinimo melius est, ut adulteram retineat. Accedit D. Augustini sententia, quæ hanc nostram assertionem apprime comprobat. En S. Doctoris verba *loc. cit. lib. 1. cap. 6. Quod tibi durum videtur; ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? Hæc crimina in vetere Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in novo testamento in Sanguine Christi sine dubitatione mundantur; Et ideo tunc omnino prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem .... nunc autem postquam Christus ait adulteræ: Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare; Quis non intelligit debere ignoscere Maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?* Priusquam igitur Confessarius Porphirio præcipiat separationem ab Uxore sua adultera, ad tramites Sanctorum Patrum, et Canonum tenetur causam diligenter inspicere, et per-

scrutari, ne forsan nimis viro indulgens, præcipiat ea, quæ majora scandala possunt efformare; et præcipue in casibus viri sunt instruendi, quod mulier infidelis per fidelem virum sanctificatur.

IV. Tandem Secunda quæstio nullam præsefert difficultatem; ideo respondeo juxta specialem juris Canonici sanctionem Porphirium immunem esse ab Excommunicatione, quamvis in Clericum cum propria Uxore turpiter inventum manus injecerit violentas. Ita quippe statutum legitur *C. Si vero 3. h. t.* Hoc enim in casu Ecclesia justo parcit dolori, quem a Marito inseparabilem adjudicat. Num vero peccet, vel non, ut stabiliatur, memoria recolenda sunt ea omnia, quæ erga aggressionem invicte demonstravimus.

Disquisitio Sexta.

Archintus Uxorem suam ad furandum, et adulterandum minis sollicitat, atque inducit. Hinc Uxor lacrymis sciscitatur a Confessario quid agere debeat.

Quæritur: Confessarii consilium.

RESOLUTIO.

I. CUm grave Animæ periculum inter divortii causas ab omnibus recenseatur; ideo puto me bene putare affirmando Confessarii consilium hoc in casu esse fugam. Et hoc in primis ex Scripturarum Oraculis deduco. Numer. enim *Cap. 6.* legitur:

Digitized by Google

tur: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum*. Ecclesiast. *Cap.* 7. *Discede ab iniquo, et deficient mala abs te*. Isai. *Cap.* 52. *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*. Jeremiæ *Cap.* 48. *Fugite, et salvate animas vestras*. Et tandem Apoc. *Cap.* 18. *Exite de illa populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis*. Ex quibus tale educitur agumentum. Malorum consortium declinandum præcipit Deus: Atqui consortium scelestius non reperitur illo, ad quod hæc Uxor adstringitur, nempe, die noctuque convivendi cum viro ipsam in lege peccati captivante; Ergo fuga illud ut declinet, oportet.

II. Hoc in casu militat evangelicum illud præceptum Math. *Cap.* 18. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice ab ste*; Scilicet, ut explicant SS. Patres, quamvis aliquis sit tibi propinquus æque ac pes, aut manus, si sit tibi causa ruinæ spiritualis, ipsum dimitte; quia subdit Hieronimus: *Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere*. Hinc Glossa Verb. *Contumelia* hæc carmina ponit.

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem;
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

III. Quo autem infelix ista Mulier aufugiet? Hoc quidem Confessarii opus, hic labor est, juxta diversas circumstantias, quæ factum comitantur.

tur. Prudentis igitur Confessarii munus erit sedulo animadvertere Viri, ac Uxoris indolem, singulas introspicere circumstantias, minutatimque omnia perscrutari, et inde prout in Domino judicabit ad prudentiæ tramites huic Mulieri consilium præbere, aut domum paternam confugiendi, usque dum Maritus a nefando resipiscat proposito; Vel sub Parochi, aut cujusdam viri illustris umbra sedendi, donec opportune, et importune arguendo Nefarium Archinti consilium immutent; aut tandem Episcopum adeundi, prout hortatur D. Bernardus *Tom.* 3. *pag.* 268., sub cujus validissima tutela consistat, donec maritus ad bonam frugem se recipiat. Hæc enim Confessarii consilia Divinæ Scripturæ sunt innixa, quæ norma esse debet Sanctuarii Ministris ad judicia efformanda, et proximo tribuenda consta. Deuter. quapropter *Cap.* 13. hæc habentur perspicua verba. *Si tibi persuadere voluerit Frater tuus, Filius, Vxor, aut Amicus, quem diligis ut Animam tuam, clam dicens, serviamus diis alienis, non miserearis, ut occultes eum.*

Disquisitio Septima.

Tamburinius Mulierem quamdam vagabundam in uxorem duxit necessariis facultatibus fulcitam. post aliquos menses vero ipsa Mulier Parocho in confessione exponit se hebræam esse, exhibitasque testimoniales falsas fuisse. At nunc pro certo affirmat se paratam esse ad fidem Christianam amplexandam. *Quæ-*

Digitized by Google

Quæritur 1. *Cujus est constituere, et laxare impedimenta Matrimonium dirimentia?* 2. *An præfatum Matrimonium validum fuerit?* 3. *Quid in casu agere debet Parochus?*

RESOLUTIO.

I. SYnodus Tridentina in Spiritu Sancto legitime congregata, ut hæreses omnes illius temporis e Christiano populo convelleret, plurimos construxit Canones, inter quos duo qui, matrimonii impedimenta respiciunt *Sess. XXIV.* contra Lutherum, Calvinumque leguntur. Primum est: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit.* Secundus: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Si stat igitur, quod ea, quæ inter Canones recensentur, quibusque anathematis conclamatio copulatur, ad fidem moresque pertinere dicantur, ac proinde sint infallibilia; neminem latet Lutheranorum errorem erga Matrimonii impedimenta per hos Canones ab Orbe catholico expunctum. Nihilo tamen minus adversus hos Canones insurrexerunt primo Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis,

et

et Apostata, Paulus Sarpius, et Joannes Launojus, qui soli civili auctoritati potestatem tribuendam duxerunt ferendi Leges ad Matrimonium spectantes. At error hic iterum ad tartara dejectus fuit, ac apud Fideles oblivione dimissus.

II. Parum vero obdormivit, quin in Scænam hisce nostris temporibus apparuerit. Nam Aloysius Litta, Thomas Nestius, et Petrus Tamburinius cujus usurpavimus nomen defensant nullam potestatem in Ecclesia existere, quæ valeat impedimenta constituere Matrimonium dirimentia. Hoc est nostrorum novitatis Amatorum genium, ut appareant apud prophanos homines Sapientipotentes omne studium ponant ad redivivos tradendos errores illos antiquatos, quique jam memoria ceciderunt: Ne vero hæresis labe fædati agnoscantur, contra fas, jusque Sanctiones quascumque afflante Spiritu Santo cusas detorquere. Ita a præfatis nostri Ævi Scriptoribus factum est, ut anathema, quo a Tridentinis Patribus confossi fuere Lutherani, declinare videantur. Ipsorum igitur audiamus Sophismata.

III. Inquiunt: Prædictos Canones non esse Dogmaticos: Ecclesiæ potestatem esse potestatem non propriam Ecclesiæ, sed ei a Principibus concessam: Ecclesiæ nomen Patres ipsos usurpasse non ut ecclesiasticum Ordinem, sed ut sæculares Principes significarent.

IV. Istorum vero nos pudet, quia potius helleboro hos curandos esse, quam ipsorum cavillandi licentiam ad trutinam convocare, ratio ipsa natura-

Digitized by Google

turalis evincit. Conciliorum enim quemlibet Canonem esse Regulam, qua Fidelibus suis Ecclesia circa Fidem morumve disciplinam proponit, scit unusquisque trium dierum Theologus. Canonem quoque, qui veluti Dogma est habendus, esse illum, in quo tanquam de fide credenda sunt, quæ proponuntur solita formula vel explicandi fidem catholicam, vel habendi hæreticos, qui contrarium sentiunt, vel dicendi anathema, atque ab Ecclesia excludendi inobedientes, fuit constans semper in Ecclesia Dei traditio: Atqui Tridentina Synodus illis duobus Canonibus anathematizat eos omnes, qui negant jus esse Ecclesiæ constituendi, et laxandi impedimenta matrimonii: Qua fronte ergo præfati hodierni Scriptores, quamvis inter Orthodoxos numerentur, negare audent Canones illos Dogmaticos esse?

V. Dum quoque ajunt de prava illa interpretatione vocabuli Ecclesiæ, prorsus hallucinari merito dicimus. Ubi, quæso, descripta reperitur hæc Principum concessio? Principum esse Leges constituere, quæ vim Matrimonii respiciant, postquam a Christo Domino inter novæ Legis Sacramenta evectum fuit, gratis asseritur. Hujusmodi jus nullibi a Princibus Ecclesiæ traditum fuisse quit assignari. Quomodo ergo potest Tamburinius defensare potestatem constituendi, laxandique Matrimonii impedimenta a Principibus Ecclesiæ fuisse concessam? Conniventia, inquit. Matrimonium enim contractus erat civilis, ac per consequens civilibus legibus subjectus, prout cæteri contractus.

Digitized by Google

ctus. Porro Ecclesia in res mere politicas, et civiles nullum jus habet, cum regnum ipsius non sit de hoc mundo. Jus igitur istud ponendi, laxandique impedimenta dirimentia Ecclesiæ a Christianorum Principum pietate, ac reverentia concessum fuit.

VI. Retorqueo Argumentum contra ipsos. Matrimonium contractus erat civilis, nunc autem est Sacramentum: Ergo sicut dum erat contractus jus impedimentorum constituendorum, laxandorumque penes Principes erat; ita nunc quod est Sacramentum jus istud residet in Ecclesia. Ecclesia in res mere politicas, et civiles nullam habet potestatem, quia regnum ipsius non est de hoc mundo: A pari igitur Principes jus nullum habent in res mere spirituales, quia regnum ipsorum est tantummodo temporale: *Nec te misceas,* inquiebat Osius apud S. Athanasium. *Epist. ad Solitar. ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahere magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere; neque tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes Imperator.* Si res ita est; quænam profecto arrogantia, o Venerabiles Sanctuarii Administri, ut Homines conditione aliena rebus sacris,

ut

Digitized by Google

ut est Matrimonium ; fontibus gratiæ se immisceant? Forte ne temporalibus suis dirigendis, aut os opponimus, aut manum porrigimus ? Etsi a nobis id fieret; profecto absque piaculo, cum penes Sacerdotium sit spiritualibus sæcularium bonis studere, atque vigiles esse. Ast ipsi, queis in res nostras sacras jus nullum omnino est, in ipsis tamen rebus sacris partem sument? Si hoc non est temeratam manum in Arcam Domini Sabaoth attollere, ut eam vilibus supersternent jumentis, quæ identidem ab ipsis glorioso oneri supponuntur; quænam profecto erunt eorum tentamina? Attamen ex nostris sunt, qui grata Principes prosequendi prurigine jus in rebus spiritualibus adscribere tentant.

VII. Reponunt tamen: In Matrimonio inest et civilis contractus, et Sacramentum. Et primo existit contractus, postea Sacramentum. Ergo quatenus contractus sæculari Potestati subjicitur; Quatenus Sacramentum pendet ab ipsomet contractu. Igitur quatenus Sacramentum Legibus civilibus subjicitur.

VIII. Perperam vero, ac sophistice hanc inferre consecutionem Scriptores nostros constat quam maxime. In primis enim supponunt Matrimonium ante Christi Adventum merum fuisse contractum civilem. Falsa tamen suppositio. Existebat enim Matrimonium multo ante quam civiles Leges instituerentur; ergo non contractus civilis tantummodo, verum quoque naturalis erat Matrimonium. Hinc celebratur Matrimonium non disjunctive, ab

homi-

Digitized by Google

homine scilicet, inde a Cive, deinde a Christiano, sed copulative, nempe, ab illo, qui est insimul homo, Civis, Christianus. Quapropter Christus Dominus cum Matrimonium ut novæ Legis Sacramentum instituit, respexit solummodo materiam ex naturali contractu profluentem, non ex Legibus civilibus, quæ aliquando ipsius Christi Legi adversantur, et semper mutationi obnoxiæ sunt, ac proinde materiam vagam, et incertam subministrare queunt. Hinc Matrimonium prout a Christifidelibus celebratur a civilibus Legibus non pendet, Principum non est Leges constituere, quæ vim Matrimonii respiciunt; atque una Ecclesia est, in cujus potestate Sponsus ejus Divinus Sacramenta reliquit, quæ jus habeat in illud. *Quando aliquid*, inquit D. Thomas *in 4. dist. 23. art. 3. ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur: In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; et sic dicitur esse naturæ officium: In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi Legis civilis; inquantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ oportet quod subjaceat Regimini Ecclesiastico*. Hactenus S. Doctor.

IX. Re-

Digitized by Google

IX. Reponit tandem Tamburinius: Tridentinos Patres in illis duobus Canonibus Ecclesiæ nomen usurpasse, non ut Ecclesiasticum ordinem, sed ut sæculares Principes significarent. Perbelle quidem! Per decem et octo sæcula nomine Ecclesiæ Christus Jesus, Apostoli, Patres omnes, omniaque Concilia intellexerunt semper illos, quos Spiritus Sanctus posuit regere hanc eamdem Ecclesiam, quando scilicet, de potestate regendi, gubernandi, pascendique locuti sunt. Hac nostra vero tempestate quidam prurientes auribus insurgunt, qui constans hujus verbi significatum suo lubitu apponunt ubi suis opinionibus magis arridet. Unde quæso colligit noster Scriptor Tridentinos Patres Ecclesiæ nomine sæculares Principes significasse? Quam ob rem? Quo jure tandem anathematizat eos, qui negant in Principibus hanc constituendi impedimenta potestatem, ipsosque in illis constituendis errasse, dicunt? Proh! quanto melius fuerat Viris istis de Religionis materia tacere, quam in usus tam perridiculos habere linguam!

X. Hoc præhabito fundamento, nempe, penes Ecclesiam esse constituere, ac relaxare Matrimonii impedimenta, sequitur in Romano Pontifice, aut generali Concilio hanc residere potestatem, quia tam primus ob suum Primatum Jurisdictionis supra cæteros Episcopos, quam Secundum, ob Episcoporum convocationem in nomine Jesu factam sub uno Capite visibili Romano Pontifice, Ecclesiam repræsentat. Episcopi quoque positi

Digitized by Google

positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei: Non inficiamur. Ast sicuti ipsorum jurisdictionis usus, ac exercitium determinatis limitibus, certisque Subditis est ab Ecclesia circumscriptus; ita quoque decuit ipsos hoc jus non possidere, nisi ad laxanda impedimenta impedientia, exceptis quoque hæresi, et sponsalibus, necnon Voto simplici, aut perpetuæ castitatis, aut ingrediendi Religionem; quia, quæ a Superioribus instituta fuere ab inferioribus quidem nequeunt relaxari. Ordo enim cujuscumque legitimi gubernii perverteretur, si inferiores Superiorum mandatis manum admovere valerent. Atqui Episcopi quoad jurisdictionem Summo Pontifici Ecclesiæ Capiti subordinantur. Ergo Episcopi abrogare nequeunt, nec dispensare Matrimonii impedimenta dirimentia, utpote ab ipso, vel ab Ecclesia sancita. Non absre igitur erit ad nostrum propositum, id quod scripsit Cabassutius, et a Benedicto XIV. adducitur, transcribere: *Si in oppositum*, ait, *reclamantibus Concilis Œcumenicis, quæ hanc patestatem uni Summo Pontifici, Legatoque reservant, sibi ausint vindicare Gallicani ducenti circiter, et quadraginta nimirum Episcopi, cum suis Vicariis, seorsim in suis diæcesibus, singuli pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, ingruet profecto tota Gallicana ditione admodum exuberantior, et inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indulgentium Prælatorum capita, in dispensandis Matrimoniis licentia. Quin etiam, si per universum Regnum ista invalesceret consuetudo (quod*

ma-

Digitized by Google

malum Deus avertat) *contingeret demum, ut quilibet laici, etiam subalternorum tribunalium Judices, per captionem, et distractionem bonorum Episcopalium ipsosmet Episcopos cogerent, pro suo peculiari, aut amicorum, aut partium postulantium affectu, ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos ad monitoria, et excommunicationes decernendas; sicque simile quid illis obveniret Divinæ huic apud Isaïam comminationi: Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, et multas. Sic enim renuentes hac in parte Summo universalis Ecclesiæ Pontifici subjici, compelluntur indignissime laicorum Judicum infirmorum Decretis obtemperare, aut propriorum fructuum, ni pareant, interceptionem, ac privationem pati .... Sane istæ ab Episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum, quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul, et probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam, in tanti momomenti Sacramento consectatur opinionem.*

XI. Inter impedimenta Matrimonium dirimentia recensetur quoque *cultus disparitas*, nempe, quod alter Conjugum sit baptizatus, alter vero profiteatur Religionem nomini Christiano con-

contrariam. Verum quippe est nullo decreto, nullaque lege hoc impedimentum in Ecclesia Christi introductum. Ast a primis Ecclesiæ sæculis mos iste jam inoleverat non nubendi baptizatos inter, et non baptizatos, Tertulliano teste, qui *lib. de cor. mil. Cap.* 13. ait. *Coronant nuptiæ Sponsos, et ideo non nubimus Etnicis, ne nos ad idololatriam usque seducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt*. Porro nulla lege opus fuit, qua fideles cogerentur hæc connubia evitare. Optime enim noverant tales nuptias contrahere, idem esse, ac prostituere membra Christi cum gentilibus, idem esse, ac se evidenti periculo exponere subversionis, idem esse, ac prolem procurare quam Parens infidelis suo tempore faceret fornicari in Deum suum. His, aliisque de causis Connubia cum infidelibus in Ecclesia Christi effugere, atque improbare fuit semper in more positum, adeo ut sæculo tandem tertiodecimo DD. Angelicus, et Seraphicus, ac deinde Theologi omnes, et canonici juris Interpretes juxta hanc Fidelium consuetudinem expresse asseruerint cultus disparitatem esse impedimentum vetans ne Matrimonium contrahatur, irritansque contractum.

XII. Hæc assertio roboratur Decreto Concilii Toletani IV., quo ita sancitum fuit: *Judæi qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur; quod si admoniti noluerint, separentur: Quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christia-*

nam

Digitized by Google

nam relata eſt fidem. Ergo ut irritum adjudicandum eſt Tamburinii Matrimonium.

XIII. Ex hoc Toletano Decreto profluit praxis, quam adhibeat oportet hoc in caſu Confeſſarius. Quapropter onus ipſi erit licentiam a Pœnitente obtinere adeundi Epiſcopum, ipſique exponendi caſum, et interim ei præcipere ne petat, neque reddat debitum matrimoniale. Epiſcopus vero in tuto poſitus de hujus mulieris conſtanti voluntate Chriſtianorum albo ſe adſcribendi, deque ſufficienti Myſteriorum Religionis eruditione, baptizet. Indeque acceſito Tamburinio, ut fortuito in ſuæ Uxoris ſermonem incidat, navet operam. Tunc ſua induſtria, ac prudentia facile ſibi erit perſpectum habere ipſius animum erga Uxorem. Si benevolum exploraverit, præhabita generali notione de neceſſitate renovandi Sacramentum, abſque eo quod ad facti particularis notitiam deſcendat, expeditum ſibi erit negotium excitandi illum ad Sacramentum conficiendum. Si vero Tamburinium invenerit jam propriæ Uxoris tædere, hoc in caſu vires omnes intendere debet, ut ad renovandum Sacramentum Tamburinii animum inducat. Aut igitur ſuæ perſuaſioni adſtipulatur, aut non. Si affirmative, revolvitur eodem. Si negative; tunc ſtricte eis præcipere debet ob cauſam ſibi notam, ne debitum conjugale audeant petere, vel reddere: Et interim ad Sanctam Sedem recurrat, quæ devinciet Tamburinium ad Matrimonii Sacramentum conficiendum.

XIV. Erga cætera impedimenta de matrimonii

nii redintegratione aliam abierunt viam Moralistæ, quamvis ex methodo ab ipsis assignata nihil certi colligi possit. Nobis vero visum est hanc methodum præscribere ob hujus impedimenti differentiam a cæteris aliis. Differentia enim, quæ hoc impedimentum inter, et reliqua occurrit est, quod alia impedimenta nullum reddunt Matrimonium, et ratione contractus, et ratione Sacramenti. Hoc vero ratione Sacramenti tantum. Hinc cum vere existat Contractus Tamburinium inter, et Conjugem suam, a quo absque piaculo non amplius potest resilire, adigendus est ad conficiendum Sacramentum; quod ob Baptismi deficientiam in sua Uxore non confecit.

XV. Si Barbosæ, aliorumque existeret opinio, qui autumant præfatum Matrimonium valide fuisse celebratum, ac respectu Mulieris infidelis fuisse quoque tunc Sacramentum in potentia, et nunc per Baptismum expletum, ac ad suam perfectionem redactum; equidem expedita methodus posset assignari. Satis esset, nempe, quod Confessarius occulte Mulierem hanc baptizaret; indeque ipsa pristinum renovaret consensum; quo posito, compleret utique Matrimonii Sacramentum, et Sacramentalem gratiam reciperet ad rite obeunda munia conjugalia. At Summus Pontifex Benedictus XIV. illius reluctatur sententiæ, dum Constit. *Singulari Nobis* posit. *in Bullar. Tom.* 3. simili in negotio Cardinali Eboracensi dedit, in qua dicit: *At exorta, uti accepimus, hæc Controversia est, utrum scilicet cum Hebræus e Secta Protesta-*

testantium Uxorem duxerit, quæ aut hæresim ejuravit, aut ejurandæ parata est, utrum inquam, initum antea Matrimonium, post susceptum ab Hebræo Baptisma sit iterandum. Te igitur hac nostra Epistola certiorem facimus ambos, postquam catholicæ Fidei nomen dederint, per Baptismum alter, altera per hæresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo conjungendos.

Disquisitio Octava.

Sophronius, et Euphrasia coram Parocho, et Testibus matrimonio junguntur, præhabitis solitis tribus denuntiationibus. Decursu vero temporis detegunt occultum existere inter se impedimentum dirimens Matrimonium. Hinc Confessarii consilio petunt a Sacra Pœnitentiaria dispensationem. At vix obtenta, a multis impedimentum istud deprehenditur, et intra paucos dies ex occulto evadit publicum:

Quæritur: 1. An, non obstante Sacræ Pœnitentiariæ Dispensatione separari nunc debeant? 2. Num separati debitum invicem reddere queant?

RESOLUTIO.

I. GRavissimas inter difficultates ad Matrimonii Sacramentum spectantes, quæ plerumque Parochorum, Confessariorumque animum solent exagitare, illas, quas in præsentiarum ad trutinam

vocaturi sumus, jure merito reponendas esse arbitramur. Duo sane secundum Ecclesiæ spiritum præfatis in difficultatibus maximopere desiderantur. Primo: Sanum Ministrorum Ecclesiæ Judicium, quo discernere queant quomodo, et quando Conjuges, ne propriam commaculent conscientiam, sint separandi. Secundo: Docilitas, ac obedientia in Conjugatis, qua Sacrorum Ministrorum mandatis juxta Canones impositis obtemperare minime recusent. Quapropter primos monet Summus Pontifex Cælestinus dicens: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod possit Patrum regulis obviare*: Secundos Apostolus, clamans: *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis*.

II. Hac igitur in Disquisitione primo loco quæritur: Num illi, qui jam pro impedimento occulto obtinuerunt dispensationem, sint separandi, si postea impedimentum devenit publicum? Pro resolutione ad Canones confugiamus oportet. Hinc juxta Ecclesiæ Canones Conjuges illi sunt invicem separandi postquam quoque Matrimonium fuerit consumatum, quos inter impedimentum aliquod Matrimonium dirimens vere, ac realiter existit: Expresse enim habetur: *Hæc facienda vetant connubia, facta retractant*: Atqui Sophronium inter, et Euphrasiam vere, et realiter impedimentum dirimens reperitur; Et quidem vera Sacræ Pœnitentiariæ Dispensatio pro foro interno utique valet, in foro tamen judiciario minime favet, ut apprime ex formula ipsius rescripti eruitur: *Absolu-*

solutio, et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur. Quamobrem duo diversa instituta sunt Tribunalia, duæ diversæ conceduntur veniæ, seu dispensationes, vel publicæ, vel occultæ pro impedimentis publicis, aut occultis. Dispensatio publica est pro utroque foro, quæ datur per Datariam, vel Secretarium Brevium. Dispensatio occulta per Sacram Pœnitentiariam pro interno tantum foro conceditur. Ergo impedimentum Sophronium inter et Euphrasiam, quamvis in foro interno per Sacræ Pœnitentiariæ Dispensationem abrogatum, existit tamen vere, et realiter in foro judiciario, ac per consequens obligat illos ad separationem.

III. Ex alio quoque Capite hæc nostra resolutio roboratur. Si enim præfati Conjuges post occulti impedimenti notitiam separandi non forent, multa, et quidem magni momenti profluerent inconvenientia. Primo. Scandalum non parvum in populo, qui certior factus de impedimento, et eodem tempore occultam ignorans dispensationem, valde nimis admiraretur. Secundo: Periculum ipsos inter Conjuges, quod temporis decursu non sine gravi conscientiæ piaculo dubitare possent de matrimonii validitate. Tertio: Damnum Filiis, et quia rationabiliter possent in dubium revocare, utrum de legitimo matrimonio procreati sint, eo quia geniti a Personis, quæ inter se copulari nequibant; et quia etiam possent et ipsi cum iisdem impedimentis matrimonia contrahere, cum præfata Dispensatio publicis in actibus non constet.

Per-

Digitized by Google

Perspicue quapropter ait Honoratus Tournely *Tract. de Dispens.* in specie *P.* 1. *Cap.* 17. *Unde si forte impedimentum ex occulto publicum fiat, et in judicium deducatur, Gratia Pœnitentiariæ in foro fori non suffragatur: Adeoque tunc ad Datariam recurrendum esset: Quamquam si Pœnitens maritali jure uteretur sine scandalo non peccaret, ut qui vere coram Deo dispensatus fuerit, cum a Pœnitentiaria dispensari potuerit eo tempore, quo impedimentum erat occultum.* Huic igitur opinioni adhærendo, censemus præfatos Conjuges fore separandos, ut pusillorum scandalum evitetur, aliaque absurda amoveantur. Cui resolutioni suffragatur Benedictus XIV. *Inst. Eccles.* §. 7. ubi ait; *Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus: Absolutio, et Dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur; eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, potest Ordinarius Conjuges separare a thoro:* Et post pauca subdit: *Si Ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione.*

IV. Secunda quæstio inquirit: Num Conjuges ob motivum superius allatum separati debitum conjugale invicem reddere valeant? Respondemus: Licite valent debitum conjugale invicem reddere. Cum enim in foro conscientiæ sint jure dispensati, nulla adest Legis violatio, indeque nulla culpa potest constitui. Quapropter prælaudatus Pentifex Benedictus XIV. de eadem disserens materia citato loco inquit. *Si tamen illi occulte*

culte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navarro. Dispensatio quippe occulta in foro conscientiæ redintegrat reum illo jure, quo ab impedimento spoliatus evaserat. Nequidem per verba illa: Absolutio, et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur, non dissolvitur Matrimonium in se, itaut dispensatio nullius sit roboris: Nec impedimentum ex occulto publicum factum valet matrimonium dissolvere; sed tantummodo ad inconvenientia evitanda adstringit. Quamplurima siquidem quotidie eveniunt, quæ tuta conscientia fieri possent; sed aut omittenda, aut secreto peragenda sunt, ut pusillorum scandalum evitetur.

V. In praxi igitur si Confessarium quemdam difficultas isthæc offenderit, hanc regulam ad prudentiæ tramites ipsi exhibemus: Confessarius moneat præfatos Conjuges opportunum esse, imo et necessarium Episcopum adire, ipsique occulti impedimenti fidelem narrationem exponere, obtentamque a Sacra Pœnitentiaria veniam pandere; et inde ipsius impedimenti promulgationem attexere, necnon Confessarium, vel Parochum, qui Literis Pœnitentiariæ executionem dedit, indicare, eidemque cum Episcopo super hoc negotium colloquendi copiam dare. Episcopus vero Sacerdoti id testificanti credere poterit; et sic publice dispensationem ostendere, atque a populo suspicionem omnem amovere. Regulam hanc ex doctrina prælaudati Pontificis excerpimus, qui ad hanc roborandam in medium affert Clericatum præclara sacrorum Canonum eruditione repletum. De Sacramento Matri-

Digitized by Google

monii igitur *Decis.* 40. *n.* 33. nonam Sacræ Pœnitentiariæ Clauſulam explicans, ait: *Dummodo Confeſſarius ſecreto moneat Epiſcopum, Parochum, et Judicem, qui omnes acquieſcere debebunt hujuſmodi notitiæ, et certificationi*. Si autem Epiſcopus aliud judicaverit, ejuſdem Decretis ſtare Conjuges debebunt. Hæc eſt illa docilitas, atque obedientia, quæ in hodiernis Chriſtifidelibus præoptatur.

Diſquiſitio Nona.

Cajus e domo paterna Bertam rapuit, illamque ad proximam Domum ſuam minis, blanditiiſque tranſtulit ad ſponſalia cum Filio ſuo peragenda: Et quamvis Berta in principio repugnaret; poſtea tamen illis conſenſum præbuit, juramentoque firmavit.

Quæritur: 1. *Quænam ſint pœnæ Canonicæ contra Raptores?* 2. *Num Pater, Filiuſque in illas inciderint?* 3. *Num præfata Sponſalia teneant?*

RESOLUTIO.

I. SPonſalia, quæ a ſpondendo ita appellantur, utpote quia in illis de futuro Matrimonio fit mutua promiſſio, licet aliquando et ipſum Matrimonium jam contractum ſignificent, proprie vero, et ſecundum eccleſiaſticum uſum futuri Matrimonii ſunt mutua promiſſio. Hinc ad ſponſalia contrahenda mutuum requiri conſenſum, conſenſum exigere voluntatem, voluntatem expoſcere libertatem, libertatem tandem excludere metum, coactionem, violen-

Digitized by Google

lentiamque nemo inficias ire potest. Siquidem prorsus nulla reputanda sunt Sponsalia illa, in quibus alterius animus a vero, sinceroque consensu existit alienus. Consensus enim a Juristis omnibus tam pernecessarius in humanis operationibus existimatur, ut ipso deficiente, omnes actus corruant necesse sit. Apposite quapropter scribit Baldus *lib. 3. Consil. 262. n. 2. quod Suprema Potestas Principis, quæ valet æquare quadra rotundis, rotundaque quadris ad nihil deserviat pro supplendo consensu, ubi non adest.*

II. Et sane, si quis attenta volverit mente, quo tendant Sponsalia, ipsi hoc admittere facile erit. Sponsalia enim tendunt ut Fideles quam optime parati accedant ad Matrimonium, quod Magnum ab Apostolo dicitur Sacramentum. Tendunt ad mutuam translationem dominii, et potestatis in corpora contrahentium; itaut ad invicem in alterius potestatem Corpus suum tradere debeat. Qua de causa tendunt, ut Conjuges sint una caro, et in Christo unus Spiritus per charitatem in quo intime, ac caste se invicem diligant, sicut Christus Ecclesiam, mutuasque infirmitates benigne, ac amanter perferant. Tendunt ad vinculum indissolubile constituendum, quo impetum haud sequantur libidinis, sed ejus excessum honestate nuptiarum coerceant, Fidemque mutuo datam nulla adulterii pollutione commaculent, juxta illud Augustini lib. 1. de Nuptiis: Fit pariter per talem gratiam, ut juxta monitum Apostoli ad Ephesios 5. *Mulieres subditæ sint Viris suis sicuti Christo Eccle-*

clesia; Et Vir limites suæ potestatis non excedat, et sancto amore conjuncti usque ad finem vitæ invicem commaneant. Tendunt ad quærendam prolem, ad Ecclesiam pia, ac fideli istius educatione ditandam; itaut per Sacramentum Regenerationis mundata in timore Dei, ac sancta conversatione educata crescat, proficiat, et ad æternam felicitatem perveniat. Tendunt... At quo tendunt? Uno verbo tendunt, ut ambo eodem recto Spiritu, eodemque casto amore, eademque bona voluntate conjuncti usque ad mortem cogitent, operentur, vivant! En sanctissimus Sponsalium finis. Quomodo vero designatum hunc scopum attingere poterunt illi, quorum unus, vel alter ad hoc accingitur reluctante minerva? Imo gratia, et quidem maxima erit, si hisce in Connubiis discordia tantummodo dominetur, qua et Vir potestate in Mulierem accepta abutatur, et Mulier Marito subjici reluctet, et ambo simul prolem vel concipiendam impediant, vel conceptam extinguant, vel natam abjiciant, vel denique prava educatione, aut præpostero amore mores ejus corrumpant. Merito quapropter ex *Cap. 25. de Sponsalibus* habetur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum Viri, et Mulieris consensum*.

III. Tamquam inconcussa firmata consensus necessitate ad Sponsalia valide contrahenda; nunc quomodo consensus ipse reddatur vitiosus facessit observare. Consensum ergo invalidum existere, dum per violentiam obtinetur, lex docet ratio dictat, experientia quoque demonstrat. Quapro-

propter inquiebat Alexander VII. ad Papiensem Episcopum scribens: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur*.

IV. Pluribus autem modis quit inferri coactio; sed precipue, et prout ad rem nostram facit, nefando crimine raptus; cum iste sit violenta abductio, seu extractio fœminæ de loco in locum potestati Raptoris subjectumMatrimonii ineundi caussa, seu libidinis explendæ. Porro violentia hæc radicaliter in dissensu voluntatis ipsius raptæ, vel illorum in quorum potestate est, vel utrorumque, consistit: Inferatur autem violentia armis, aut non, actu, seu metu, idem perinde est, ut Doctores uno ore fatentur.

V. Hinc olim legibus et ecclesiasticis, et civilibus in perpetuum prohibebatur, ne raptores raptam sibi legitimo matrimonio copularent; etsi Parentibus restituissent, imo quamvis ipsa præbuisset consensum, in pœnam tanti criminis inferentis violentiam Mulieribus maritandis, earumque libertati tam graviter nocentis, prout in Cap. *Placuit* apertissime habetur. Cum vero tam sancta, et utilia Decreta post Sæculum nonum in desuetudinem fere abiissent, Tridentina Synodus Raptus impedimentum renovavit, rursusque confirmavit *Sess. 24. de Reform. Matrim. Cap. 6.* hac dumtaxat facta immutatione, quod Raptor cum Rapta posset inire matrimonium, cum ea suis Parentibus, ac in loco tuto fuerit restituta. En Decre-

creti verba, et insimul pœnæ contra Raptores: *Decernit Sancta Synodus inter Raptorem, et Raptam quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si Rapta a Raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta illum in Virum habere consenserit, eam Raptor in Uxorem habeat, et nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati; ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; Et si Clerici fuerint de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor Mulierem raptam sive eam Uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

VI. Ex quibus quatuor enumerantur pœnæ contra Raptores, scilicet, Excommunicatio, Infamia, obligatio dotandi mulierem raptam, et inhabilitatio ad Matrimonium cum ipsa, donec in Raptoris manu extiterit. Sed Excommunicatio, et inhabilitatio ipso facto ligant raptorem, cæteræ vero Judicis exigunt Sententiam, ut docent Sanchez, Farinacius, et alii.

VII. Quod vero tam Pater, quam Filius hasce incurrerint pœnas liquet quam maxime. Pater enim raptum equidem patravit; Nam Puellam de loco ad locum violenter abduxit caussa Matrimonii; nec refert ipsum per se tale facinus non egisse, quia pœnæ a Tridentina Synodo impositæ fuere, et ob violentiam mulieribus maritandis raptu illatam, et ob earum libertatem graviter læsam: Atqui Cajus enormi illo raptu violentiam Puellæ de-

detulit, libertatique ejus non levem præbuit jacturam, ergo a vero raptu minime est eripiendus.

VIII. Filius vero ejusdem criminis reus evasit consensum ad sponsalia cum ista rapta peragenda, præbendo: Siquidem Caussæ omnes, quæ ad aliquod inferendum damnum concurrunt, ad ejusdem damni compensationem tenentur. Qua de caussa? Quia omnes ad damnum illud cooperatæ sunt. Atqui Filius iste consensu, ac voluntate cooperatus est raptui a Patre commisso, violentiamque intulit, libertatemque Puellæ offendit, sicut et Pater; ergo sicut et Pater Raptum patravit, raptorumque pænas in seipsum pertraxit: Hinc Concilium Tridentinum inquit: Omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: Multo magis igitur de tali Filio sentiendum est.

IX. Sponsalia autem ista in actuali raptu peracta non teneri, negaturum puto neminem, si ad id, quod superius diximus de voluntate libere consentiente attenta animadverterit mente: Nam cum sponsalia rationem habeant contractus, contractus exigat voluntatem, voluntas libertatem, libertas autem per raptum tollatur; talem puellam libere consensum præbuisse quis affirmabit? Theologorum nemo. Deinde Matrimonium perseverante raptu contractum nullum, ac irritum esse statuit Tridentina Synodus superius allata: Atqui idem dicendum de Sponsalibus, quia, ut habetur *arg. Cap. Translato de Const. Cum similibus*

con-

connexorum idem est judicium: Ergo cum Sponsalia sint Matrimonio connexa, ipsa etiam esse nulla, et defectu libertatis, et ratione raptus est concludendum.

X. Nec minime urget obligatio adimplendi juramenti: Quandoquidem juramentum naturam actus, cui apponitur, sortitur. Sed Sponsalia diximus esse nulla; Ergo adhuc nulla, licet juramento firmata. Et revera obligatio implendi juramentum cessat, cum adimpleri nequit sine salutis periculo, ut declarat Gregorius IX. ad Archiepiscopum Senoniensem scribens *in Cap. Si vero* 8. Sed moraliter impossibile est, ut servato juramento permanere valeat Matrimonium sine interitu salutis temporalis, et æternæ ob exitus periculosos, qui illud ferme comitantur. Probe nosco, non esse hic quod referam quot clades, et bella, odia, et jurgia, furores et minæ, ultiones, furiæ, infinitorum bonorum dissipationes, infinitaque animæ, corporisque mala fuerint ob mulierum raptus producta. Alias dicerem: Quisnam Trojam, ac Trojanos ad nihilum reduxit? Elenæ raptus; ideo cecinit Propertius: *Olim mirabar quod tanti ad Pergama belli Europæ, atque Asiæ caussa puella fuit*. Quisnam Sichimitarum excidium produxit? Dinæ raptus, ut Sacra testantur eloquia. Quis tandem Romuli tempore Urbium excidia, tot populorum interitus, tot humani sanguinis effusiones caussavit? Sabinarum Mulierum raptus, ut Titi Livii narrat historia. Raptus igitur bellum in regnis, seditiones in civita-

Digitized by Google

vitatibus civit, familias evertit, arctissimos amicitiæ nodos infregit, Oppida subruit, perdidit imperia, et si antiquorum, recentiorumque temporum historias audiamus, omnia mala animæ, et corporis peperisse, innotescet. Ergo ne ob juramentum, metu, ac vi emissum, infelix Puella isthæc tot, ac tantis imminentibus animæ, corporisque periculis se exponet?

Disquisitio Decima.

Ad Confessarium quædam accedit Vidua, quæ inter alia confitetur quemdam Juvenem Domum duxisse explendæ libidinis causa; et alterius Mulieris auxilio pravum obtinuisse intentum; et cum eodem, quem semper domi retinuit, illo mane Matrimonio copulari debet.

Quæritur. 1. Quomodo cum ipsa Parochus se gerere debeat? 2. An alia Mulier ipsi auxilium præbendo in pœnas contra Raptores inciderit?

RESOLUTIO.

I. SUpra præsentem quæstionem ob Theologorum Opiniones inter se discrepantes fateor cum Claudiano, quod *sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem*. Nam Rodriquez, Meratius, Aversa, Brancatus, Mastrius, multique alii sustinent Raptum, quo Fæmina Virum rapit, dirimere Matrimonium, quia, inquiunt, quoad hoc non est major

Digitized by Google

jor ratio de Raptu Viri, quam Mulieris; Eadem enim ratio pro utrisque militat nempe, ob Matrimonii libertatem, quæ prorsus eodem modo requiritur in Viro, ac in Fæmina; Ergo si alteruter abducatur absque consensu, æque rapitur, et quamvis facilius, ac frequentius contingat, ut vir fæminam rapiat, tamen hoc non facit, ut ab hac lege sit exempta fæmina Virum rapiens; alioquin fæmina potens impune rapere posset Adolescentem, eumque cum violentia ad Matrimonium inducere. Quod quam sit a veritate alienum, nemo est, cui non innotescat quam maxime.

II. Alii vero non inferioris subsellii Theologi firmiter tenendum existimant talem Raptum non esse impedimentum Matrimonium dirimens. Inter istas oppositas Sententias plenam timoris operam certe insumo; nihilo tamen minus puto me cum istis bene putare affirmando Raptum a Muliere patratum non esse dirimens impedimentum Matrimonii, quia in Tridentini Concilii Decreto, et alibi sermo fit de Viris rapientibus Mulieres, non de Mulieribus Viros rapientibus. Unde Verba Concilii contra eorum sensum ad hunc extraordinarium Casum non sunt trahenda, utpote quia Lex ultra sensum suum literalem, et nativum non est exponenda. Cui echo facit solemnem hæc Juris Regula *l. Fast.* 187. §. *16. ff. de divers. regul. jur. antiq. In pœnalibus causis benignius interpretandum est*. Concilium enim loquitur de eo, quod ut plurimum contingere potest; Non vero de eo quod nonnisi perraro accidit,

cum

Digitized by Google

cum raptrices fœminæ vix aliquando occurrant; quapropter cum tale periculum leve sit, a Legislatoribus contemnitur.

III. Nec momenta, quibus Adversarii huic contradicunt sententiæ, valent meum mutare propositum, quia non currit paritas Adolescentem inter et Puellam. Hæc siquidem, licet cum difficultate, invita tamen simpliciter potest vitiari, et amissa semel Virginitate, labefactatur in fama irremediabiliter; quod non est in Viro, qui nolens, nulla vi ad congressum potest impelli, et insimul per actum carnalem non periclitatur in fama. Quapropter si hominis fortitudinem, constantiam, et media propemodum infinita, quibus ipse e mulierum manibus quit se faciliter eripere, quicumque animadvertet; profecto quidquid adversarii inflatis buccis obstrepunt ad hominis libertatem tuendam inter fœmineos horrores demandandum unusquisque sibi persuasum habebit, nobisque credere non diffidet, illa folia esse artis, et nugas meras.

IV. His igitur indubiis fundamentis præhabitis, sua sponte fluit methodus hoc in Casu a Parocho adhibenda; Præfatæ Viduæ Actio raptus non fuit; ergo nequidem impedimentum dirimens matrimonium produxit Viduam inter, et Juvenem. Ex Juvenis retentione, necnon carnali congressu occasionem proximam denuo peccandi, attenta suaciatæ naturæ, humanæque fragilitatis inclinatione, Viduam inter et Juvenem promanasse rationabiliter timendum est; ergo ad periculum hoc eli-

eliminandum, suppositis omnibus requisitis, prout supponuntur per ly *copulari debet*, Parochus tenetur illos in matrimonio conjugere.

V. Denique Mulier illa, quæ Viduæ præbuit auxilium, pœnas contra raptores non subiit: Ubi enim raptus non est, nec pœnæ ipsius suscipiuntur. Atqui demonstravimus præfato in Casu raptum non extitisse; ergo nequidem pœnæ contra raptoribus auxilium præbentes a Tridentina Synodo stabilitæ.

Disquisitio Undecima.

Aristippus rem habuit cum Sorore suæ Vxoris, et quidem pluries, et pluries a Confessario fuit absolutus.

Queritur: 1. Quodnam peccatum commiserit? 2. An ultra peccatum in aliquam pœnam inciderit, et a quo valeat dispensari? 3. An post patratum illud peccatum, peccaverit quoque matrimoniale debitum ab Vxore petendo, quamvis fuerit ab illo peccato absolutus?

RESOLUTIO.

I. MŒchia, inquit Tertullianus de Cultu fœminar. *pag.* 557. *quod etiam fornicationis est res, secundum opus criminis quanti æstimanda sit sceleris, prima lex Dei præsto est. Siquidem post interdictam alienorum Deorum superstitionem, ipsorum-*

rumque idolorum fabricationem, post commendatam Sabbati venerationem, post imperatam in parentes secundam a Deo Religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis, monendisque substruxit præceptum, quam non mæchaberis. Post spiritalem enim castitatem, sanctitatemque corporalis sequebatur integritas; Et hanc itaque munivit, hostem statim ejus prohibendo mæchiam. Quale delictum jam intelligе cujus cohibitionem post idololatriæ ordinavit.... Itaque mæchia adfinis idololatriæ. Nam et idololatria mæchiæ nomine, et fornicationis sæpe populo exprobrata, etiam sorte conjungetur illi sicut et serie, etiam damnatione cohærebit illi, sicut et dispositione. Eo amplius præmittens, non mæchaberis, adjungit, non occides. Oneravit utique mæchiam, quam homicidio anteponit;

II. Peccati hujus notionem dedimus quidem agendo de Sexto Decalogi Præcepto, ubi diximus in venereorum usu inordinato, aut indebito consistere. Quia vero vitium hoc ultra rectam rationem diversas quoque virtutes nititur pessumdare; ideo multiplices venereorum criminum species adnumerantur. Dum enim lædit justitiam aut adulterium, aut stuprum, aut Raptus adpellatur: Si in sola alterius thori læsione consistit, adulterium; Si respicit alterius virginitatis compressionem stuprum; Si jus alienum abductione violatur, Raptus dicitur. Hinc Adulterium est Congressus Viri cum alterius Uxore, aut mulieris cum marito alterius, vel utriusque cum altero matrimonio jam vincti. Cum reverentiam offendit, qua unusquisque respi-

Digitized by Google

cere naturaliter debet Consanguineos, affinesque suos dicitur Incestus, qui est Congressus cum Persona consanguinitate, vel affinitate conjuncta intra gradus illos, quos inter Matrimonium iniri non potest. Cum Religionem conculcat, vocatur Sacrilegium, quod patratur cum persona, vel inter personas Deo per Votum castitatis consecratas. Dum denique naturæ ordinem tendit perturbare, aut pollutio, vel sodomia, vel bestialitas perpetratur.

III. Cum igitur Aristippus congressum cum suæ uxoris Sorore habuerit, adulterii, ac incestus reus est adjudicandus. Adulterii nempe, quia fidei conjugali attulit damnum, propriæque Uxoris jura dilaceravit; Incestus, utpote quia suæ uxoris Soror, cum qua lapsus est, affinis est sibi propter consanguinitatem, quam cum uxore sua conservat; ac per consequens illo delicto reverentiam, qua ipsi devinctus erat despexit. *Porro*, ait Gratian. *Caus.* 35. *quæst.* 5. *de affinitate quam dicitis parentelam esse, quæ ad Virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet manifestissima ratio est, quia si secundum divinam sententiam ego, et uxor mea sumus una caro, profecto mihi, et illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego, et Soror uxoris meæ in uno, et primo gradu erimus.*

IV. Hinc qui incestum committit cum consanguinea suæ Conjugis privatur jure petendi debitum conjugale, prout expresse habetur *Cap.* 1. *et* 4. *de eo, qui cognov. consanguin. uxor.* ita ut

letha-

lethaliter peccet, si petat. Cujus pœnæ dispensatio, quamvis antiquitus apud Episcopos non existeret, nisi extraordinarie ob causæ urgentiam, vel ob S. Sedis aditus difficultatem; nunc vero absolute ipsis concessam esse ob casus frequentiam, peccatique periculum, est omnium Theologorum sententia. Hinc Aristippus ultra gravissimum peccatum, in pœnam quoque privationis juris petendi debitum conjugale, a quo, nisi ab Episcopo non valet dispensari, profecto lapsus est; ac per consequens toties lethaliter peccat, quoties conjugale debitum petit; quia re utitur, de qua ob suum delictum fuit expoliatus. Hæc est generalis hujus quæsiti solutio.

V. Quia vero Aristippus in Casu de suo delicto sacramentalem obtinuit a Confessario absolutionem; ideo ob adjectam circumstantiam hac distinctione procedendum esse censemus. Aut Aristippus rationabiliter judicavit fuisse quoque a Confessario cum peccatorum absolutione ab illa pœna dispensatum, aut non. Si primum; Nullius culpæ reus efficitur petendo post absolutionem debitum conjugale; quia non potest dubitare, nequidem suspicari, quin Confessarius functus sit officio suo. Si secundum; utique peccavit; quia aut Ecclesiæ mandatis obedire detrectavit; aut per ignorantiam egit, quæ cum sit pœnæ, non excusat a pœna, et cum proprium respiciat statum, peccata ab illa provenientia ipsi utique imputantur, quamvis sese non peccare arbitretur.

Disqui-

Polanus contendit licitum esse clandestinum Matrimonium; quia, inquit, Patres Tridentini docent clandestina Matrimonia rata, et vera esse Matrimonia: Et quamvis doceant quoque Ecclesiam ipsa semper detestatam fuisse, deducendum est; aut Ecclesiam detestari posse Sacramenta, quod est absurdum, aut defacto licitum esse illa celebrare. Contendit etiam Poligamiam non esse damnandam, quia apud antiquos Patriarchas, in usum cum laude fuisse legimus.

Quæritur Enodatio.

RESOLUTIO.

I. QUemadmodum Philosophia, ita quoque Theologia nostris hisce temporibus habet Libertinos suos, qui in laqueum, et in scandalum positi, veluti Anti-Christi Præcursores, et Prophetæ mendaces clamant Pax, pax, cum non sit pax. Horum Hominum sicuti in Philosophia, ita quoque in Theologia idem est genium. Sophismata putidiora, quorum trium dierum Theologum puderet vehementissime, veluti apodicticas demonstrationes, et Evangelii oracula traducunt, atque ita sub theologica veste larvati, veluti lupi sub ovina pelle venenum incautis propinant. Nitidissimum hujus periculi exemplum conspicimus in Polano mentiti nominis Scriptore.

II. En

Digitized by Google

II. En ipsius difficultas, quibus Tridentinos Patres, et Romanam Ecclesiam temere insultat. Ex Concilio Tridentino, scribit ipse, Matrimonia clandestina sunt vera Sacramenta. Atqui ex eodem Concilio Ecclesia semper detestata est Matrimonia clandestina; ergo Ecclesia semper detestata est vera Sacramenta: sed repugnat, pergit ipse, ut Ecclesia detestetur Christi Sacramenta: Ergo Ecclesia, quæ detestatur Matrimonia Clandestina non est vera Christi Ecclesia.

III. Hactenus Polani Sophisma, quo nihil perridiculum magis, et Thologo Scriptore indignum. Sane est huic alteri simillimum: Ordinationes Simoniacæ sunt validæ Ordinationes, et vera Sacramenta: Ita quoque Communiones Sacrilegæ vera sunt Sacramenta, quomodo quoque Sacramenta sunt Confessiones illorum, qui peccata consulto reticent: Atqui Ordinationes simoniacas D. Petrus Apostolus detestatus est in Simone Mago: Communiones, et Confessiones sacrilegas detestatus est D. Paulus in Corinthio incestuoso: Ergo Apostoli Petrus, et Paulus Sacramenta Christi detestati sunt. Cujus sthomacum non movet hujusmodi argumenti genus? Quale Theologiæ monstrum Sacramenta licita cum illicitis, sancta cum sacrilegis fœde miscere, atque confundere!

IV. Ordinationes sancte receptas, in quibus per manuum impositionem charitas Dei diffundebatur in cordibus Fidelium, Apostoli, et cum Apostolis Ecclesia semper venerata est. Eas vero, in quibus pecunia debet esse in perditionem, jure, meritoque semper detestata fuit. Ita quoque

Digitized by Google

Communiones, et Confessiones in quibus dolentes veluti Filii prodigi ad cœlestem Patrem, ejusque convivium excipimur, semper Ecclesia commendavit. Maledixit vero Communionibus, et Confessionibus illis, in quibus judicium nobis manducamus, et bibimus, et evadimus rei Corporis, et Sanguinis Domini. Eodem jure Ecclesia semper habuit Clandestina Matrimonia rata, et vera esse Matrimonia. Eadem tamen semper detestata est, non quatenus Sacramenta, sed quatenus clandestina, non quatenus Sancta, sed quatenus sacrilega non quatenus Christum habent auctorem, sed quatenus a prophana Venere invecta. Hæc pauca funditus evertunt Polani Sophismata; pejora tamen supersunt, quæ breviter recitabo, ut hujus Scriptoris fraudes patefiant.

V. Tridentini Patres docent clandestina Matrimonia rata, et vera esse Matrimonia, quia in ratione contractus civilis valida sunt: At nunquam, ne somniarunt quidem, asseruerunt Matrimonia hujusmodi esse Sacramenta. Ut Sacramenta sint, requiritur Sacerdotis administratio, et benedictio, prout ex omnium Sanctorum Patrum Traditione Theologi demonstrant. Qua igitur fronte Polanus scribit ex Concilio Tridentino clandestina Matrimonia esse Sacramenta? Polanus igitur est solemnis Sycophanta, et Theologus audacissimus. Tridentini Patres nunquam docuere hujusmodi Matrimonia esse Sacramenta. Eadem rata habuit Ecclesia in ratione contractus; semper tamen detestata est, quia Sacramenta non sunt, et periculis, atque scandalis plena.

IV.Tan-

Digitized by Google

VI. Tandem fatemur plures simul habuisse Uxores SSmos Patriarchas Abraham, Isaac, Jacob, et innumeros alios usque ad Evangelicam Legem. Sed nonnulli Ecclesiæ Patres volunt Patriarchas sine ullo crimine Poligamos fuisse, quia Deus ut humana Soboles propagaretur, cum iisdem dispensavit. Unde quodnam argumentum deducere potest ex Patriarcharum exemplo in sui favorem Polanus noster? Forsan ne idem in præsentiarum urget motivum, eadem existit dispensatio?

VII. Quia vero huic aliquorum Sanctorum Patrum sententiæ, plerique alii D. Ambrosium sequuti firmiter contradicunt, voluntque dispensationem hanc chimæricam esse, cum in tota quanta est Scriptura nè vestigium quidem ejusdem reperiatur; nec non perridiculam quoque criminantur, quia Lamechi ævo homines paucissimi erant, et totum humanum genus ex exiguis familiis constabat, quæ intra brevissimos Mesopotamiæ limites comprehendebantur; quando Abrahæ ætate Provincia, et Regna populorum multitudine florentissima erant; nihilo tamen minus Lamechus gravissimo scelere condemnatur, et Patriarchæ laudantur; ideo ex alio capite Polanum hoc in negotio convincere studemus.

VIII. Quapropter concedimus Polygamiam simultaneam jure naturæ non adversari. Et sane assertio hæc communi Theologorum, et Canonistarum suffragio firmatur. A D. Augustino *lib.* 22. contra Faustum strenue defenditur: Et ab Innocentio III. de Polygamia expresse docetur: nam natu-

Digitized by Google

naturalia Matrimonii jura nihil aliud exposcunt, nisi prolis generationem, et educationem, quæ quidem adamussim obtinentur inter plures Uxores sub uno viro. At adversari utique potest secundariis Matrimonii juribus, quia ultra Prolis generationem, educationemque Matrimonium expostulat, ut Pax domestica non turbetur, et Filiis necessaria alimenta præbeantur. Adversatur quoque juri divino, postquam Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit; nam *Lucæ* 16. *v.* 18. *omnis, qui dimittit Uxorem suam, et alteram ducit, mæchatur, et qui dimissam a viro ducit, mæchatur*. Et Apostolus 1: *ad Corinth. Cap.*8. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem a Viro non discedere; quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir Uxorem non dimittat*. Hinc Tridentinum Concilium: *Sess.* 24. *de Matrimonio Can.* 2. definivit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, et hoc nulla Lege divina esse prohibitum, anathema sit*.

IX. Quapropter nihil juvant Polano antiquorum Patriarcharum exempla ad desperatam Lutheranorum caussam defensandam. Tunc enim Matrimonium contractus erat civilis; et dummodo secundaria Matrimonii jura servarentur, permissum erat plures insimul habere Uxores. Nunc autem matrimonium nedum est contractus, sed quoque novæ Legis Sacramentum ad primævam sui institutionem a Christo Domino revocatum, dum Altissimus protulit: *Erunt duo in carne una*. Quapro-

propter jus divinum impedit, quin plures ducantur Uxores; et Polanus humiliari debet sub præcipienti voluntate Legislatoris.

X. Quod si laudantur Patriarchæ, condemnatur vero Lamechus. Qua de caussa? Quia ipsi in Polygamia naturalia jura scrupulose servarunt: non ita Lamechus. Nam ad pacem Familiæ servandam sarctam tectam naturale jus exigebat, ut una foret primaria Uxor, cæteræ vero ita a prima dependerent, sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ, ut Scripturæ phrasi utar. Deinde funda tanta esse debebant ut sufficerent pluribus alendis Uxoribus, Filiisque multis, qui ex iisdem nasci poterant. Quia igitur hisce omnibus intacte servatis, naturalis lex polygamiam non prohibebat illo tempore: et Abraham scrupulose hæc servavit, dum Cethuram, et Agar e manibus Saræ primariæ Uxoris recepit, et ad nutum Saræ dimisit; Atque Abrahamum quoque cæteri Patriarchæ polygami imitati sunt; ideo merito laudantur. Lamechus vero condemnatur, non quia duas Uxores ducens primariis Matrimonii juribus contradixit; sed quia secundarios fines manifeste pessumdedit, secundam Uxorem ducendo non ex placito Uxoris primariæ, sed suo arbitrio; et quia tunc temporis cum quælibet Mulier fœcundissima esset, et ob longævam ætatem, qua vita tunc temporis perdurabat, Filiorum, Filiarumque multitudo ex duabus præsertim Uxoribus orta tanta erat, ut impossibilis foret domesticæ pacis observantia, tantæque multitudinis Filiorum educatio. Igitur

La-

Digitized by Google

Lamech adversus secundaria Matrimonii jura gravissime peccavit, nec excusandus exemplo antiquissimorum Patrum, qui jura hæc religiose servavere.

Disquisitio Tertiadecima.

Lentulus non mediocrem pecuniæ summam a diversis hominibus mutuo acceptam insumpsit, ut Uxorem, et Familiam aleret. Nunc ipso mortuo, Uxorem creditores urgent, ut Viri debita solvat: negat Uxor caussans nulla viri bona, sed unam sui dotem esse superstitem.

Quæritur: Quid Uxor debeat?

RESOLUTIO.

I. EX principiis pro Casu de Villico positis, agendo de septimo Decalogi Præcepto Disquisitione XII. hujus Casus resolutio quoque derivatur. Matrimonium enim est perfectissimum societatis fœdus: quippe sunt duo in carne una. Hinc in rebus vel mobilibus, vel immobilibus, quæ ad virum, et Uxorem spectant jura omnia, et Leges sunt strictim observandæ, quæ in contractu societatis præscribuntur. Omnia itaque communia esse debent pericula, onera, commoda, lucrum. Hisce regulis igitur perpendamus, utrum Lentuli Uxor teneatur Viri Creditoribus ex sua dote satisfacere.

II. Lentulus vel propria ipsius culpa, Uxore in-

re inscia, vel contradicente, pauper factus est, coactusque proinde fuit mutuas accipere a Creditoribus pecunias, vel inops evasit ex fortuitis calamitatibus, quæ nulla humana industria declinari queunt. Si Lentulus in egestatem innocens illapsus est, tenetur Uxor ex sua dote Creditoribus satisfacere. In Contractu enim societatis dana, quæ absque unius, vel alterius Socii culpa eveniunt, debent æqualiter a Sociis perferri, atque rependi.

III. Equidem pecunias, quas a Creditoribus Lentulus accepit, eas insumpsit, ut uxorem, et filios aleret; Ergo ex iisdem pecuniis Uxor commodum obtinuit. Sentiat igitur oportet incommodum. Si Lentulus eas pecunias nullo modo obtinuisset, unde uxor alimenta, vestes, cæterasque res sibi necessarias percepisset? Certe ex sua dote. Igitur uxor dotem suam integram servavit ex consumptis Creditorum pecuniis. At non licet aliorum bona consumere, ut res propriæ intactæ serventur, et ex justitia debemus damna omnia restaurare, quæ aliis intulimus, ut nostra bona integra servarentur. Cum itaque Uxoris dotalia bona integra servata fuerint Creditorum pernicie, debet uxor creditoribus ex sua dote in integrum satisfacere. In integrum, ajo, quia ex contractus societatis natura, cujusmodi divina institutione est matrimonium, damna, quæ fortuito, et absque ullius Socii culpa proficiscuntur, in integrum a superstite Socio sunt persolvenda.

IV. Sin vero Lentulus propria culpa, uxore

con-

Digitized by Google

contradicente inops evasit, tunc uxor creditoribus id solum solvere tenetur, ex quo factus est ditior. Nempe si ex pecuniis Creditorum Lentulus superfluas Vestes uxori fecerit, ornamenta donaverit, muliebrem mundum auxerit, si uxor in eo Statu commessationibus, theatris, aliisque solatiis indulserit; totum id Creditoribus restituat, rependatque, quod in hisce non necessariis rebus consumptum fuerit. Est enim furti species, qua aliorum bona consumimus, ut superfluis indulgeamus. Restituat igitur uxor totum id, quod hisce iu rebus expensum est. Hoc non ex Forensibus machinationibus, sed naturæ Codice, et Canonico, civilique jure deduxi, prout fuse legi potest in Codice *l. Mutuus 37. ff. De jure dotali, necnon in Glossa Cap. Per vestras. Verbo. Ad inopiam arg. novell. 67. Cap. 6.*

IN CENSURAS ECCLESIASTICAS AC IRREGULARITATEM.

Disquisitio Prima.

Templum dum a Parocho Missa inchoatur quidam ingreditur ab Ecclesiæ ingressu interdictus. Et post Missæ celebrationem eidem Parocho Sacram Synaxim Infirmo deferenti Excommunicatus vitandus adjungitur.

Quæritur. Quid in utroque casu Parochus agere debeat?

RE-

RESOLUTIO.

I. QUam sacrorum Canonum cognitio sit Sanctuarii Ministris necessaria nemo vertere potest in dubium. Blasphæmare quippe in Spiritum Sanctum dicuntur sacrarum Sanctionum violatores, ut habet Damasus Papa relatus a Gratiano in Decret. *P.* 2. *Caus.* 25.*q.*1.*c.*5. „ Violatores Canonum „ voluntarii graviter a SS. Patribus judicantur, et „ Sancto Spiritu, (instinctu cujus, et dono dictati „ sunt) damnantur; quoniam blasphæmare Spiritum „ Sanctum non incongrue videntur, qui contra „ eosdem sacros Canones, non necessitate compul„ si, sed libenter, ut præmissum est, aliquid aut „ loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte con„ sentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum „ genus est blasphæmantium SpiritumSanctum, quia „ ut jam prælibatum est, contra eum agit, cujus „ nutu, et gratia sancti Canones editi sunt „ Atqui facile sacrorum Canonum violatores erunt, qui eorumdem cognitionem negligunt; Ergo et in Spiritum Sanctum blasphæmatores nuncupabuntur.

II. Cum igitur erga excommunicatione, et interdicto irretitos varia sint sacrorum Canonum Decreta; idcirco in casu quid Parochus agere debeat inquiritur, ne ab ipsorum determinatione sit alienus. Quapropter ut vera a falsis secernamus, in primis Interdicti notionem investigemus oportet. Hinc Interdictum a Canonistis sic communiter describitur: *Est Ecclesiastica Censura, qua homo*

homo separatur a perceptione quorundam Sacramentorum, a divinis officiis, et a sepultura ecclesiastica. Omnes conveniunt Interdictum vel esse locale, quod locum ipsum afficit, itaut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat a divinis Officiis, a Sacramentis, ab usu ecclesiasticæ sepulturæ; non vero cum non amplius in eo loco versatur: Vel Persönale, quod Personam attingit, et quocumque eat Persona, eamdem sequitur. Vel mixtum, quod et Locum, et Personam comprehendit. Cum vero in præsentiarum agatur de Interdicto Personali est denuo animadvertendum, hoc esse vel generale, vel particulare. Personale interdictum generale fertur in aliquam hominum Communitatem, prout unum constituit corpus. Particulare autem personale Interdictum certos obstringit Homines nominatim expressos, non obstringendo cæteros.

III. Ad interdictum personale particulare reducitur Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, et est quædam species partialis Interdicti, quale interdictum cautum est in sacris Canonibus. Sic habetur in Extravaganti *Ambitiosæ. De rebus Ecclesiæ non alienandis; Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbaziali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus*. Idem habetur *Cap. Sacr. De Sententia Excommunicationis. Et Cap. Si quis* 16. *q.* 7. *et Cap. Episcoporum de Privilegiis in* 6. Et

in

in Concilio Tridentino *Sess. 6. Cap. 1. De Refom.* interdicitur ab ingressu Ecclesiæ Metropolitanus, si per Nuncium, aut Literas Summo Pontifici non defert intra tres Menses suos Suffraganeos, qui absque justa causa non resident ultra Annum. Item interdicuntur Prælati edentes glossas in Decreto Concilii, et in Bulla LXXII. Pii V. incipiente: *Benedictus Deus*.

IV. Hinc quæritur quid agere debeat Parochus, si, Missa jam incohata, introierit aliquis ab ingressu Ecclesiæ interdictus. Divina Officia celebranda esse sine illorum præsentia, qui sunt interdicti, sacrorum Canonum Decreta exposcunt. Quapropter *in Cap. Alma Mater* habetur: *Adjicimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, et Monasteriis Missæ celebrentur, et alia dicantur divina Officia sicut prius; submissa tamen voce, januis clausis, Excommunicatis, et Interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis*. At si jam Missa est inchoata, et interdictus ingreditur Ecclesiam, forsanne erit a Sacrificio desistendum? Putamus bene putare asserendo non esse desistendum. Quod innuere videtur Benedictus XIV. dum in ejusdem Epitome affert Illustrissimus D. Mansi: *Interdicti ab ingressu Ecclesiæ assistere non possunt Missæ, et Divinis Officiis, neque coram illis potest Missa celebrari in Ecclesia. Spectat vero ad Ministros Ecclesiæ illos ejicere: Si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suarez docetur Missam jam inceptam non esse omittendam*. Quinimo cum in Clementinis *lib. 5. De*

Sen-

Sententia Excommunicationis Cap. 2. *Gravis ad nos Prælatorum querela*, hæc habeantur : *Nonnulli quoque ipsorum suis plerumque subjectis, licet excommunicationis, vel Interdicti sententia publice sint innodati, de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum celebrantur solemnia, instantibus etiam Celebrantibus, exeant præcipere non verentur. Ex quo frequenter contingit, quod non sine Dei offensa, Clerique, ac populi scandalo ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta*: Equidem ex his verbis ad nostram confirmandam sententiam hoc profluit argumentum. Jura damnant illos, qui non verentur præcipere, ut exeant de Ecclesiis Interdicti, dum Missa celebratur, quia desistere a celebratione non potest Minister sine Dei offensa, ac Cleri, et Populi scandalo: Ergo Parochus cum jam Missam incæperit, debet illam perficere. Quapropter in hæc verba Glossa habet. *Debet enim Sacerdos dimittere Officium Missæ propter præsentiam Excommunicati, nisi jam incæpisset Canonem Missæ.*

V. Quid vero agere debeat noster Parochus dum sibi Eucharistiam infirmo deferenti adjungitur Excommunicatus, si Bonaccinæ, Henriquez, Sayro, aliisque fidem præstare voluerimus, sententia jam finita esset: quia isti defendunt Excommunicatum posse adorare Eucharistiam, et etiam illam comitari, dum ad infirmos defertur, modo non recitentur Psalmi. At ipsis subscribendum non esse sacrorum Canonum Decreta exposcunt. Enim vero ex Decisionibus supra relatis apprime constat Excommunicatos non posse divinis

nis Officiis assistere. Atqui Processiones publicæ quas inter connumeratur quoque delatio Viatici ad infirmum, sub nomine includuntur Divini Officii: Quippe sub nomine Divini Officii veniunt non solum Missæ, et Horæ Canonicæ, sed omnis Oratio publica, Processio, Benedictio, et aliæ similes sacræ functiones, quæ solemniter fiunt ex Institutione Christi, vel Ecclesiæ; aut propriæ sunt alicujus Ordinis Clericalis, ut passim docent Theologi; Ergo excommunicatus nequit sacrum sociare Viaticum, quia est actio publica a Christo, et Ecclesia instituta, necnon et Ordinis Clericalis propria.

VI. Si igitur Excommunicatus obstinate velit Eucharisticum sociare Viaticum, quid agere debet Parochus? Dicimus, ipsum desistere non posse a Communione Infirmi, ac per consequens suum debere perficere Ministerium. Quando enim duo occurrunt Præcepta, quæ sibi mutuo adversari videantur, observandum est illud, quod gravius est, omittendum alterum. Atqui divino Præcepto statutum est, ut sacrum Viaticum præbeatur Infirmo in mortis discrimine constituto, prout *Disquis. XIV.* in Eucharistiæ Sacramentum fuse demonstravimus: Et dimittere Divina Officia ob Excommunicati præsentiam est præceptum Ecclesiasticum; ergo standum est divinæ jussioni, et Ecclesiæ Præcepto valedicendum, quia expedit obedire Deo magis, quam Hominibus; ac per consequens Parochus continuare debet suum Officium, ut Infirmus sacra Synaxi roboretur, nec ob unius

Excommunicati contumaciam tanto bono privetur. Et revera si dum Sacerdos Missam celebrat, ingrediatur Excommunicatus in Ecclesiam, cum ipse pervenerit ad consacrationem, non debet quidem a Missa desistere. Ob quod motivum? Quia de divino præcepto est Sacrificii integritas, quæ per sumptionem completur: Ergo pari ratione non est Infirmi Communio deserenda ob Excommunicati præsentiam.

VII. Hinc Parochus in praxi debet monere Excommunicatum ut discedat: Ast si sine scandalo discedere noluerit; tunc debet una cum populo submissa voce Psalmos, aliasque precationes proferre, ne cum Excommunicato videatur communicare; et inde Viaticum Moribundo administrare.

Disquisitio Secunda.

Arnaldus quodam cum Clerico jurgans, ita captus est ira, ut lapidem in ipsum impegerit: At Casu non percussit.

Quæritur. An per hoc Excommunicationis laqueo innodatus extiterit?

RESOLUTIO.

I. CUm Clerici illi sint, qui peculiari modo ad Domini spectant hæreditatem, ac illustriorem Gregis Christi efformant portionem; ideo Ecclesia expressis, clarissimisque Canonibus Virorum sæcu-

Digitized by Google

sæcularium coercuit in Clericos proterviam, ut ipsorum Personæ, necnon et bona temporalia sarta tecta perpetuo servarentur. Ad tuendam quapropter, vindicandamque Clericorum Personam hunc celeberrimum edidit Canonem, qui habetur *Causa 17. quæst. 4. Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandata recipiat.*

II. Conveniunt omnes violenta manuum injectione intelligendam esse actionem quamcumque injuriosam in Clericum ense, baculo, pulvere, aqua, saliva, vel alia re simili efformatam, sive immediate ipsum Clericum percutientem, sive medio fuste, gladio, veneno, alioque quocumque instrumento. Num vero eidem albo, ac per consequens præfata excommunicatione innodatus, adnumerandus sit ille, qui ictum vibrat, ut Clericum lædat, attamen nec illum, nec rem ipsi adhærentem tangit, in dubium revocant non pauci ex Theologorum, Canonistarumque Familia, hac unica ducti ratione, quia in odiosis Leges sunt restringendæ.

III. Nos vero, quia legimus in D. Antonini Opere: *In quibusdam casibus, quamvis non actualiter injiciat quis manus violentas, incidit in Canonem propter quosdam actus injuriosos factos contra tales.* Quia probe etiam noscimus Summum Pontificem Innocentium XI. *Cap. Nuper. De sen-*

entia

tentia Excommunicationis definiisse, ac decrevisse; *Non credimus pœnam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factum* (quæ verba magni ponderis sunt ab Adversariis quoque existimanda) *corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur*. Quia tandem Canonis verbis magis consona videtur; ideo duximus amplexandam doctrinam illorum, qui sentiunt oppositum; ac proinde dicimus Arnaldum excommunicationis pœna esse innodatum, licet Clericus ictum declinans, percussionem effugerit. Et sane; Ille in præfatam incidit excommunicationem, qui suadente diabolo manus violentas injicit in Clericum: Atqui Arnaldus noster suadente diabolo manus violentas vibrando lapidem in Clericum injecit; Ergo Arnaldus excommunicationem effugere non valet. Nec officit quod non percusserit, quia Canon percussionem violentam non exquirit, sed violentam injectionem, quæ satis Clericorum honorem lædit, ac dedecorat.

IV. Ad Objectionem, quæ est Adversariorum lydius lapis, scilicet: In odiosis Leges extendi non debent: ergo in casu deficiente manuum physica percussione, evanescere quoque pœnam credendum est, qua Lex isthæc odiosa sane est. Respondemus, negando consequentiam, ipsiusque suppositum. Supponitur enim quod Lex sub excommunicationis pœna prohibens, ne Clerici ullo unquam modo lædantur, sit Lex odiosa. At perperam quidem. Nam si ex parte pœnam subeuntium

tium Lex ista odiosa conspicitur: Respectu autem illius, in cujus favorem est efformata, proculdubio favorabilis dicenda est. Et re quidem vera nonne unicuique satis, superque constat ideo excommunicatione innodari Clericorum percussores, ut ecclesiasticus honor defendatur, et decus? Ut autem revera defendatur, nonne interest ut nullimode lædatur? Ergo Lex isthæc favorabilis est, non odiosa; indeque extendenda, et amplianda; ac per consequens ruit omnino Adversariorum ratio ex principio illo deducta, quod odia sint restringenda.

Disquisitio Tertia.

Lucilla quibusdam cum Puellis nugas garriendo medicamentum quoddam descripsit, ac esse fœtus impeditivum significavit. Hinc capta occasione una ex illis Puellis tali utitur medicamine, et ad fœtum impediendum, et ad abortum procurandum.

Quæritur: 1. Num Lucilla lethaliter deliquerit, quamvis sine pravo fine illud indicaverit medicamentum? 2. An in excommunicationem, reservationemque inciderit?

RESOLUTIO.

I. QUam insidiosa sit, periculisque plena mulierum conversatio satis ostendit quotidiana experientia. Hinc S. Ephrem cæteras inter notiones, quibus mulieres describit *Tom. 2. Quid est*, inquit,

Digitized by Google

quit, *mulier? Mortifera conversatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, Juvenum perditio, sceptrum inferni*. Num hæc vera sint, sat erit casum expositum sedulo inspicere. Lucilla enim ultra quam quod graviter Puellarum aures garrulitate sua offendat, præbet quoque ipsis ad nefanda facinora molienda occasionem. Cum igitur Episcopi a Spiritu Sancto positi ad regendam Ecclesiam Dei, a suo grege abortum exulatum exoptent, suis in Diæcesibus fere his verbis abortum reservant, atque anathemate confodiunt: *Adhibitio operis, sive consilii ad faciendum abortum fætus Animati, vel inanimati, etiam non secuto effectu*: Quamobrem difficultas occurrit num Lucilla graviter deliquerit, atque in excommunicationem, reservationemque inciderit, quia una ex illis puellis a sua garrulitate nacta est occasionem impediendi fœtum, ac procurandi abortum.

II. Prima igitur quæstio est: Num Lucilla graviter deliquerit? Jam norunt omnes, ut lethale peccatum constituatur, tria necessario expostulari, nempe, materiæ gravitatem ex parte objecti, advertentiam ex parte intellectus, ac ex parte voluntatis consensum. Gravitas vero materiæ non tantum ex objecto est commensuranda, verum quoque ex fine, et circumstantiis, quæ ipsam sociant materiam, dicente D. Thoma 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 9. *Actus moralis non solum habet bonitatem ex objecto a quo habet speciem, sed etiam ex circumstantiis*. Dari enim potest materia, quæ suapte

pte natura sit bona, aut saltem indifferens; at quia a fine, vel ab aliqua altera circumstantia deturpatur, in odium, offensionemque Altissimi incurrit. Sic jejunium suapte natura bonum est. Nihilo tamen minus illud Judeorum legimus reprobatum a Deo, Isaj. *Cap.* 58. Quare? Ratione, scilicet, pravæ intentionis, a qua excitabatur. Eleemosina est res sanctissima, respicit enim Dei amorem, proximique levamen. Verum si elargiatur ob vanam gloriam, vel ad prostituendam puellam, extemplo nefanda conspurcatur malitia. Unde? Ex pravo fine illam comitante. Missæ celebratio est actio, qua nulla major excogitari potest, tum ad Dei gloriam celebrandam, tum ad populorum salutem obtinendam. At si celebretur in loco interdicto, Sacerdos lethaliter delinquit. Qua de causa? Quia circumstantia loci vetiti intervenit. Stat igitur peccatum effici lethale non solum ob gravem injuriam objecto illatam; verum quoque ob pravum finem, aut gravem circumstantiam actionem licet optimam comitantem.

III. Num vero Lucillæ garrulitas sit lethalis, vel venialis reatus caute definiendum esse nos edocet Ecclesia, Patresque omnes admonent. Concilium enim Vaurense *Cap.* 1. *Tom.* 15. *Collect. Concil.* inquit: *Neque enim Confessor debet esse promptus ad facile judicandum de aliquo, quod sit mortale peccatum, nisi sit in dictis Scripturæ, vel Sanctorum Patrum expressum*. Inter Patres S. Augustinus *lib.* 21. *de Civ. Dei Cap.* 27. *Quæ sint*, ait, *ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem*

ad

ad Regnum Dei . . . difficillimum est invenire, periculosissimum definire. In Enchirid. *Cap.* 78. *Quæ sint levia, quæ gravia peccata non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Lib.* 2. *contra Donatist. Cap.* 6. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: Hoc grave est, et illud leve: Sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, et in illis appendamus, imo appensa a Domino cognoscamus*. Ex his igitur principiis, ne Confessarii, dum sedent pro Tribunali injuste judicent sua sponte fluit Lucillæ garrulitatem in divinarum Scripturarum stateris fore appendendam.

IV. Hinc quid dicunt Scripturæ? Eccles. *Cap.* 32. *Ne ponas animæ tuæ scandalum*. Malach. *Cap.* 2. *Scandalizastis plurimos, propter quod et ego dedi vos contemptibiles omnibus populis. Reg.* 1. *Cap.* 2. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini*. Math. *Cap.* 18. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*. Lucæ *Cap.* 17. *Væ autem illi, per quem scandala veniunt*.

V. En quapropter consectaria, quæ ex his omnibus proficiscuntur. Primum: Quamvis actio sit ex natura sua indifferens, lethalis tamen peccati malitiam induit, dum effectus ex illa profluentes notabilem injuriam Legi, aut notabile damnum Proximo afferunt. Secundum: Scandalum in re gravi enorme scelus esse, comminationes illæ, quibus

ſbus divina Scripturarum Oracula illud execrantur, ostendunt quam maxime.

VI. Hinc sternitur via ad primi quæsiti solutionem. Dicimus igitur Lucillam gravis peccati ream esse adjudicandam. Et requidem vera: Illa proculdubio lethalis culpæ rea censenda est, quæ verba profert apta ad peccatum mortale constituendum: Atqui talia fuere Lucillæ verba. Ipsa enim occasionem puellis patrandi abortum præbuerunt. Porro abortum est societati damnum notabile; Ergo notabile damnum proximo attulerunt; Ergo lethaliter Lucilla garrulitate sua deliquit.

VII. Deinde. Scandalum juxta Theologos omnes est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Atqui Lucilla suis verbis occasionem utique spiritualis ruinæ illis præbuit Puellis. Quandoquidem abortum procurare lethale peccatum esse, ac per consequens spiritualem ruinam in illis gignere, qui hoc facinus temere tentant, norunt omnes: Atqui Lucilla occasionem dedit procurandi abortum; Ergo gravis delicti rea est adjudicanda.

VIII. Opponunt aliqui. Perridiculum est asserere lethaliter delinquere, qui quamdam herbam venenatam esse aliquibus retegeret. Ergo a pari idem dicendum de Lucillæ narratione. At argumentum hoc legitime non concludit. Etenim latissimum est discrimen herbam venenatam inter, et medicamentum ad abortum procurandum assignatum. Herba quandoquidem venenata, in quam

quam unusquisque incidere potest, ut ab omnibus evitetur, necesse est, quod nitide sit apud omnes pervulgata. Medicamen autem ad abortum procurandum, ut latebris sit apud omnes obtectum oportet, quia nullo in casu licitum est illud procurare. Abuti herba venenata vel ad se, vel ad alios homines interficiendos, insuetum est apud omnes, tum quia naturæ repugnat, tum quia idem esset, ac se ad necem exponere, vel quia delictum facile dignosci potest, vel quia Judex inquisitionibus ad ipsius notitiam sine multo labore potest pervenire. Non ita de abortu discurrendum est. Facile enim evenire potest: Facile præoptatur: Facile obtegitur. Paritas ergo ab herba venenata desumpta inepta est ad nostram labefactandam sententiam.

IX. Secundæ Quæstioni distinctione occurrendum fore duximus. Aut Lucilla certo cognovit aliquam ex illis Puellis accinctam esse ad abortum procurandum, aut non. Si primum, certe quidem ipsius verba essent ad abortum inductiva, ac per consequens ab hujusmodi pœnis immunis non esset constituenda. Si vero secundum, dicimus Lucillam nec in excommunicationem, nec in reservationem incidisse.

X. Ut quis in casu abortus excommunicatione, reservationeque innodatus existat, saltem ut consiliarius ad illud procurandum concurrat oportet: Abortus enim reatus hac formula fere reservatur: *Abortum procurantes, verum etiam et consilium dantes, et ad illum operantes*: Atqui Lucilla

la minime ut consiliatrix in illius Puellæ abortu est adjudicanda: Consulentis quandoquidem nomine intelligitur ille, qui ad aliquid peragendum alterum directe movet, allicit, persuadet, instruit, auxilium præbet, facilitatemque ostendit, prout eruimus ex propositione ab Innocentio XI. proscripta, atque hisce verbis concepta: *Qui alium movet, aut inducit, ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati*. Porro Lucilla non consuluit abortum, sed tantummudo id, quod potest abortum gignere significavit; Ergo non fuit abortus consiliatrix, ac per consequens nec in excommunicationem, reservationemque lapsa est.

XI. Et sane: Sub excommunicationis, reservationisque pœna fere apud omnes Diœceses prohibentur Epistolæ amatoriæ Monialibus, aliisque in Monasteriis degentibus transmittendæ. Siquis autem narraret, Titium hujusmodi literas ad quamdam Monialem misisse, profecto occasionem Auditoribus faciendi similiter subministraret, prout Lucilla in casu de abortu procurando. Per hoc vero pœnis hujusmodi innodatus forsan ne foret constituendus? Minime quidem. Quare? Quia hæc narratio non cadit in reservatum. Simili modo de Lucillæ garrulitate est discurrendum. Eo vel magis quia extra omnem dubitationis aleam est apud omnes, quod peccatum, ut sit reservatum cum censura, debet esse in genere suo completum. Lucillæ vero peccatum in genere consilii abortus completum esse, nemo sane somniaverit, cum Lucilla non de-

deſcripſerit medicamentum pro conſilio, ſed pro ſua garrulitate. Ergo ipſius peccatum ratione conſilii non eſt completum, ac proinde ab excommunicatione, reſervationeque immunis eſt conſtituenda.

Disquiſitio Quarta.

Arnaldus ſola curioſitate, atque jactantia libros prohibitos legendi facultatem et exposcit, et obtinet.

Quæritur 1. *An Librorum prohibitorum lectio ſub excommunicationis pœna interdicatur, et cui ſit reſervata? Num tutus ſit in conſcientia Arnaldus?*

RESOLUTIO

I. MInus profecto Fidei tutelæ, ac defenſioni, conſcientiarum uniuſcujuſque indemnitati, bono Eccleſiæ regimini proviſum foret, ſi Eccleſia, ſactis religionis firmiſſimis fundamentis, a Chriſto ſuo ſponſo verbo vel ſcripto vel tradito revelatis, non haberet facultatem abigendi libros illos, qui a rectis vivendi, credendique regulis abducere, atque inter Chriſti Oves ſerpere non ceſſant. Cum enim plurimorum hominum ignorantia, atque perverſitas Eccleſiæ Dogmata ſuis Liberculis paſſim in peregrinos ſenſus flectere procurent, ac penitus quoque obſcurare; ut fatali experimento omnium ſæculorum comprobatur, ac noſtræ præcipue ætatis, in qua heu! quam debbacchantur in

ipsa-

Digitized by Google

ipsamet Dogmata ad fidem, moresque spectantia! quam conantur Religionis nostræ Mysteriis illudere! Quis, quæso, non videt esse opportunum, imo necessarium, ut apud ipsam Ecclesiam existat facultas eripiendi ex hominum manibus omnes illos libros, qui imperitorum animos callide pervadunt, atque ludificant incredibili Religionis periculo atque detrimento? Si excludantur Protestantes, qui egre ferunt eripi ex hominum manibus libros, a quibus ipsi in errorem deducantur: Si excipiantur Arnaldus, Voltairius, Paulus Sarpius, Febronius, Manettus, cæterique hodierni Janseniani, ac Libertini, qui innumerabilium hæresum monstra conflarunt, conflantque, ut Religionem radicitus exterminent; nemo sane, nisi ille qui veluti truncus anima orbatus existat. Ipsamet quippe ratio naturalis dictat optimo incumbere Pastori non solum Oves suas pascere, verum quoque a noxiis pascuis illas amovere. Romani igitur Pontificis est, quem, velint nolint Transalpini, Concilium Florentinum definivit esse *B. Petri Principis Apostolorum Successorem, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*, est, inquam, lectionem illorum vetare librorum, quos rectis moribus, ac fidei integritati noxios esse animadvertit.

II. Et sane penes Religiones quascumque cautio magna, atque provisio semper extitit pravorum

rum Librorum vetandi lectionem. Athenienses Protagoræ libros igni tradidisse, eo quod in ipsis scripserat: *De Diis neque ut sint, neque ut non sint habeo dicere*, affirmat Cicero de *Nat. Deor. Lib.* 1. *n.* 23. Romanos scrupulose curasse, ut a suis illi removerentur Libri, qui mores depravare, ac a Religione avocare poterant, testes sunt Livius *Lib.* 23. *Cap.* 1. *Tom.* 3. *pag.* 939. Valerius Maximus *Lib.* 1. *Cap.* 1. Svetonius *in August. Cap.* 31. *n.* 1. Seneca *controv. proem. lib.* 5. *tom.* 3., et alii. Apud Judæos Regem Ezechiam Libros, qui Salomoni tribuebantur comburi, imperasse, ne ex eorum lectione populus in idololatriam raperetur, narrat Michael Glica 2. *p. ann. pag.* 182. In antiquo fœdere mos erat caute servatus non permittendi, ut Genesis, quædam Ezechielis Capita, ac liber Canticæ legerentur, nisi ab illis, qui jam trigesimum ætatis annum attigerant, prout affirmat Hieronymus *proem. in Comment. ad Ezech.* Nullus tamen unquam fuit, qui ita impie desipuerit, ut effutierit ex hisce prohibitionibus hominum naturalia jura lædi, ac propterea Rectorum suorum potestatem vetandi pravorum librorum lectionem in discrimen revocare ausus fuisset. Tamen quod Infideles nullo unquam tempore somniare ausi sunt, infelici hoc ævo moderni Libertini per summam audaciam & possunt, & faciunt. Qui pote? Ariani potuerunt quidem Catholicorum Libros comburere, ut observat Athanasius *Encyclic. ad Episcop. ab ep. ad Ortodox. de perseq. excit. n.* 3. Potuit Lutherus Corpus juris Canonici igni tradere.

dere. Potuerunt Calviniani Lutheranorum, & Lutherani Sacramentariorum libros tollere; Et vera Christi Sponsa Ecclesia, quæ tota pulchra est sine macula, & sine ruga, non poterit? Igitur qui vivunt in tenebris, & in umbra mortis sedent; prudentiores Filiis lucis in generatione sua erunt? Ne ineptiamus ergo, fateamur oportet, Ecclesiam et posse, et debere vetare libros, qui Religioni, bonoque spirituali adversantur. Potest equidem ob auctoritatem a Christo acceptam judicandi de doctrina, quæ ad religionem, bonosque mores spectat. Debet, ne falsa librorum doctrina longius serpat, maximo suorum fidelium detrimento.

III. Si igitur Romani est Pontificis pravos repellere libros, prout Pastoris officium noxia pascua a suo grege submovere vi suæ naturæ exposcit; nauseam profecto movet Arnaldus cum omnibus Jansenistis illa jam nunc importuna distinctione juris, et facti. Summus siquidem Pontifex Pastor est universalis Ecclesiæ: Ipsi speciatim incumbit, juxta Apostoli præceptum, Formam habere sanorum verborum; depositum fidei custodire; profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ devitare, exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere. Igitur ipsi proculdubio dedit Deus potestatem perspiciendi libros pravos, ac sanæ doctrinæ noxios, et a cæteris secernendi. Perridiculus quippe, quinimo et infestus foret Pastor ille, qui aptus non existeret ad pascua noxia discernenda. Quorsum quis Oves pasceret, si orbatus foret facultate discernendi

nendi pabula infesta, ac ab illis suas repellendi Oves? Quocumque sane temporis articulo veneno exponeret Oves, si pascua noxia tam crebra forent, quam frequentes sunt Liberculi veneno scatentes, ac per manus quoque mulierculárum irrepentes. Arbitrabimur forsan providentissimum Deum O. M. suarum ovium Pastorem hac fatali sorte constituisse, atque super hanc invalidam Petram Ecclesiam suam ædificasse? Horremus!

IV. His præhabitis fundamentis ad primæ quæstionis solutionem gradum faciamus. Hinc quemadmodum quatuor sunt, ad nostrum propositum Scriptorum genera; nempe Heretici, Catholici, Homines incogniti nominis, ac Infideles; ideo quatuor Librorum species, supra quibus adventare potest prohibitio, recensentur. Prima est illorum Librorum, quorum Auctores sunt hæretici. Secunda, illorum, qui a Catholicis cuduntur. Tertia complectitur omnes libros de quibus Auctor est suppressus, quique directi sunt ad labefactandam pudicitiam, aliorum famam, aut similia. Quarta tandem Infidelium tractantium de Religione. Hæretici vero distinguendi sunt: Aut Hæresiarchæ, qui scilicet nominatim, et in propria persona damnati sunt; aut simplices hæretici, qui damnati fuerunt generaliter, nempe, in illa Secta, in qua nati fuere.

V. Adversus illos, qui libros prohibitos evolvere audent duo genera Excommunicationum numerantur. Una Excommunicatio, quæ Summo Pontifici est reservata; Altera, quæ nemini reservatur, sed a quocumque Confessario absolvi potest.

Digitized by Google

Prima feriuntur illi, qui libros hæreticorum de Religione agentes, vel hæresim continentes, legere non verentur. Secunda percutit illos, qui cæteros libros prohibitos perlegunt. Prima ante Tridentinum Concilium existit in Constitutione Niccolai III., nec non et ab Urbano VIII. his verbis fuit confirmata. *Excommunicamus .... quoscumque Hussitas, Wicleffitas, Lutheranos, et a Christiana fide apostatas, ac omnes, et singulos alios hæreticos quocumque nomine censeantur, et cujuscumque Sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, et generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore; nechon Schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Secunda continetur in Indice a Deputatione Concilii Tridentini confecto, prout eruitur ex Constitutione Pii IV. ubi legitur: *Siquidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis Auctoris Scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, uti de hæresi suspectum inquiri, et procedi liceat, prout alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constituta. Qui autem libros alia de causa probibitos legerit,*

Digitized by Google

habueritve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.

VI. Hinc qui libros legit Hæreticorum de Religione tractantes pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ innodatus existit. Sin autem Libri non de Religione, neque de moribus, sed de naturalibus facultatibus agunt, distinguendum est, aut Auctores sunt Hæresiarchæ, aut Hæretici. Si Hæresiarchæ, incurrit sane excommunicationem, nemini tamen reservatam: Non incurrit vero si sunt tantum Hæretici. Qui vero cæteros evolvit Libros Auctoris catholici, aut incogniti, at damnatos vel quia de astrologia judiciaria agunt, vel quia aliquam Hæresim, aut falsum dogma continent, incidit in eamdem excommunicationem nemini reservatam; prout ipsam subeunt pœnam omnes illi, qui Libros infidelium, Judæorumque de Religione tractantes evolvere non deterrentur. Illi tandem qui Libros circa res venereas versantes audent perlegere lethali tantummodo culpa coinquinantur.

VII. Finis igitur, ob quem pravorum Librorum lectionem vetat Ecclesia, est sane, ut Religio sarcta tecta servetur, moresque suos inter Filios integri permaneant, atque cujuscumque erroris auferatur occasio. Sed qui sola curiositate, atque jactantia hos studet legere libros erit ne immunis periculi se errore inquinandi? Funestissimos quippe eventus curiositas semper exhibuit. Primam enim tentationem, primamque malorum omnium originem fuisse curiositatem, dum tortuosus

sus serpens in Heva illam excitavit, sacer Genesis satis ostendit. Lacrymabile Uxoris Loth spectaculum a curiositate fuisse productum neminem latet. Quis ignorat pessimas consecutiones, quas Dinæ curiositas peperit? Nonne David curiose perspiciendo Mulierem se lavantem divinum odium in se concitavit? Ergo Arnaldus quoque periculo se exponit illis Lectionibus se inquinandi. Porro qui amat periculum, peribit in illo: Ergo Arnaldus tutus conscientia non est adjudicandus.

Disquisitio Quinta.

Barnabas Sacerdos, qui carcere detentos invisere solet eorum spiritualem salutem adjuvaturus, ut Clodium gravissimorum scelerum reum ad pœnitentiam, a qua obstinate abhorrebat, excitaret; eum certiorem fecit brevi mortis pœna damnatum iri. Ob fatale nuntium repentina rabie insaniens Clodius, spumans illico pene occubuit. Barnabas hujus infelicis miseratus, pro illius anima subsequentibus diebus celebravit; at postea animadvertens in ejus mortem eo nuntio influxisse

Quærit a Confessario: 1. An irregularis evaserit? 2. An licite potuerit pro illius anima Sacrificium offerre?

RESOLUTIO.

I. QUia criminis puros Ecclesiæ Ministros esse Apostolus exposcit *Epist. ad Tit. Cap.* 1. ubi legitur

gitur: *Reliqui te Cretæ .... ut constituas per Civitates Præsbyteros; sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est*: Quinimo ipsamet Ministerii sanctitas suadet quam maxime; Ideo priscis temporibus in Ecclesia Dei quodlibet grave crimen, etiam illud, quod expiatum fuerat per pœnitentiam irregularitatem inducebat, nempe, impediebat quominus Ecclesiæ Ministri in suscepto Ordine ministrarent. Nunc vero laxata antiquæ disciplinæ severitate, ea dumtaxat crimina irregularitatem istam inducunt, quæ infamiam afferunt ob maculam, qua inde criminosus adspergitur. Hæc inter recensetur nedum voluntarium, atque injustum homicidium, verum quoque et casuale.

II. Quia vero homicidium causale duplici modo potest evenire, scilicet, et dum quis causam ponit, unde prævidet, vel prævidere tenetur homicidium; et dum quis opus licitum facit, omnemque adhibet diligentiam, ne homicidium sequatur; et nihilotamen minus evenit: ideo ut irregularitas in homicidio casuali non suscipiatur, necesse est ut homicidium secundo modo sequutum sit, ut nempe nullimode prævideri debuerit. Hæc quidem, quæ a Jure Canonico sancita fuere, a Theologis quoque amplexantur, qui uno ore fatentur ab irregularitate immunem non esse illum constituendum, qui rei illicitæ, simulve periculosæ operam dat, eoquia in tali casu mortem fortassis obventuram prævidere poterat, et debuerat.

III. Hoc porro indubio fundamento præhabito, cum Clodii interfectio casualis fuerit secun-

do

Digitized by Google

do modo explicata; ideo sic primæ difficultati occurrendum existimamus. Barnabas irregularis non est, quia artificium, quo Clodium ad pœnitentiam adducere voluit, nulla culpa infectum fuit; Et Clodii mors non in Barnabæ monitum, sed in ejusdem Clodii ferinum temperamentum est tota refundenda. Sicuti Ananias, ejusque Uxor Saphira ad Petri vocem illico occubuere; ita quoque Clodius ad Barnabæ admonitionem mortuus cecidit: Sicut itaque Petrus nec reprehendi potest, nec irregularis dici; ita quoque nec Barnabas noster.

IV. Secundæ Quæstionis difficultatem Barnabas forsan excerpsit, ex eo, quod dicit D. Augustinus *lib.* 2. *de Civit. Dei Cap.* 21. *n.* 1. *tom.* 7. *Si de aliquibus ita* (Ecclesia) *certa esset, ut qui sint illi etiam nosset, qui, licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso*. Quamobrem cum Barnabas conspexisset Clodium e vita impœnitentem discessise, judicat ipsum in stagnum ignis cum diabolo perpetuo cruciandum præcipitasse, ac per consequens licitum non esse pro ipso Sacrificium offerre, sicuti per Augustinum Ecclesia non orat, nec pro diabolo, nec pro damnatis. Hoc Barnabæ judicium valeret utique, si certo sciret Clodium ad æterna supplicia damnatum: Verum vero quia sine speciali divina revelatione nedum ipse, sed nec Ecclesia potest unquam de hac certitudine gloriari; ideo laudanda

est ipsius pietas, dum pro Clodii anima Missas applicavit. Quamvis enim repentina ipsius mors videatur mors peccatorum pessima; id tamen semper incertum Hominibus esse debet, quibus divinæ Misericordiæ viæ semper abissus erunt. Sicuti itaque incertus est Ananiæ, et Saphiræ salvatio: ita quoque incerta Clodii æterna salus. Potuit idcirco Barnabas licite, et pie pro ipsius Anima Sacrificia offerre.

Disquisitio Sexta.

Plutilla in fornicationem lapsa, cum habeat Patrem, Fratresque valde feroces, ex sui complicis consilio ob abortum procurandum, transacto aliquo tempore post peccatum, potionem sumit, et ex eadem effectum obtinuisse credit.

Quæritur 1. An præfata Mulier unacum complice in excommunicationem inciderit? 2. An complex irregularitatem, aliasque pœnas contra consilium dantes ad abortum emanatas incurrerit, et a quo valeant ambo ab excommunicatione absolvi, et complex ab irregularitate dispensari?

RESOLUTIO.

I. SIxtus V. Pontifex Summus anno Dominicæ Incarnationis 1588., ut illorum coerceret audaciam, qui immaturos fætus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur, celebrem

Digitized by Google

brem edidit Constitutionem incip. *Effrenatam*, qua inter alias pænas Excommunicatione, irregularitate, inhabilitateque ad Ordines, et Beneficia suscepta, vel suscipienda plecti voluit illos, qui Mulieri partum animatum, aut inanimatum, muliere ipsa non excepta, abegissent, aut consilium, auxiliumve quocumque modo præbuissent; sibi tantum, suisque Successoribus excommunicationis absolutione, aliarumque pœnarum dispensatione reservata.

II. Ad breve tempus tamen hæc Sixtina permansit Constitutio. Nam post tres Annos Gregorius XIV. Bulla incip. *Sedes Apostolica*, hujus Sixtinæ Constitutionis moderavit rigorem; Et distinctione facta abortus fætus animati, et inanimis; adversus primi Abortus Auctores omnes, et singulas pœnas a Sixto V. statutas in suo vigore reliquit, et solum excommunicationis absolutionem penes Episcopos, Confessariosque illos ab ipso specialiter deputatos instituit residere, dicens: *Constitutionem prædictam sic duximus moderandam, ut a peccato, et excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Prsbyter tam sæcularis, quam cujusvis Ordinis Regularis ad Christifidelium Confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus plenam, et liberam in foro conscientiæ tantum absolvendi habeat facultatem*. Adversus vero fætus inanimati Abortum, vel sterilitatem procurantes prædictas Sixtinas pœnas amovit, ac

ad terminos juris communis peccatum hoc reduxit, subdens: *Quo vero ad pœnas procurantium Abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in prædicta Constitutione contentas, Constitutionem præfatam, in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, tam quoad præterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem Constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.*

III. Ex his igitur clare patet præfatarum Quæstionum resolutiones a notitia Abortus fætus animati, vel inanimati derivari. Quando autem fætus adjudicandus sit animatus, et ob rei obscuritatem, et ob discrepantem Philosophorum sententiam non facile definiendum, quinimmo Quæstio hæc inter abdita naturæ Arcana accensenda. Quod Physici suis experimentis de hominis conceptione nobis possunt indicare est, quod fecundato ovo uno, vel altero per virilis seminis vaporem, qui aura seminalis dicitur, concrescit in ipsis humor contentus, et luteum colorem adipiscitur, et ita luteum corpus exurgit, quod ex villis, et floccis rubris subnascitur. Per tubas fallopianas deinde Ovario applicatas ad uterum ex fæcundo coitu deducitur. Ibi si primo liberum existit (quod nunquam vidit Hallerus horum experimentorum oculatissimus) omnem haurit nutritionem a viscido quodam humore ab utero exudante. Ovu-

lum certe post maturam conceptionem ad uterum adhæret, licet tempus, quo adhærescat incertum sit: Ab ovi tunc involucro toto evidentissimi flocculi exeunt, longi quidem, et ramosi, quorum alii post alios evolvi videntur; occurrunt ipsi flocculis de utero exeuntibus, et in illos radicantur. Sensim hoc pacto uteri cavitas per humorum affluxum amplior evadit: Sensim ipsa fætus rudimenta, et secundinæ, chorion, nempe, placenta, funiculus umbilicalis, et amnion evolvuntur; ita ut ovum humanum juglande non majus, tamen fibrosum sit cum bulla, et punctis nigris, et corde pulsante; imo placentulæ initium in ovo nuce muschata non majore apparuerit. Vidit Hallerus Ovum humanum ovi columbini magnitudinis cum fætu papaverino semine non majori, tamen villosum. In alio ejusdem molis ovo vidit basim fere carneam: Vidit ovum trium, aut quatuor hebdomadum cum chorio, et magna placenta: Et ovum viginti quatuor dierum cum magna, et lunata placenta perspexit. Generaliter vero circa primum graviditatis mensem, licet partes pene omnes minutissimæ sint, efformatæ tamen conspiciuntur. Quamvis enim fætus triginta quinque dierum minor sit phaseoli mole, neque major ape, tamen est cum funiculo: Sexta septimana autem chorion est asperum, et fætus est cum capite, oculis, atque artuum rudimento.

IV. Ex hac analysi constructionis corporis humani plures, et quidem oppositæ profluerunt Philosophorum Opiniones, quoad fætus animationem

nem

nem. Quidam enim, ut Tertullianus, et Apollinaris autumarunt animas particulas esse Animæ Patrum, ac proinde in ipsamet conceptione a lumbis Patrum descendere unacum singulis corporibus. Verum posita hac opinione, quis non videt actum jam esse de Animæ spiritualitate? Alii cum Leibnitio, et Wolphio demonstrare tentarunt omnes animas rationales a Deo ab initio conditas fuisse et in organicis corpusculis inclusas; ideoque in Matrum uteris jam existere. Sed perridiculum est credere ova in fæminis esse animata; secus millena sequerentur absurda: Scilicet, cur non omnes fæminæ sint fecundæ? Cur licitum virginali statui mancipari? Cur tot animæ Ovorum, quæ non nascuntur, pereunt? Et similia. Alii voluerunt in ipso conceptionis momento animam a Deo infundi, quia natura non est otiosa. Cæteri tandem, et quidem merito, docent Animas rationales organico fætus corpusculo infundi simul ac habetur in eo omnium partium evolutio, et organizatio, quæ vitæ functionibus obeundis est necessaria. Cum enim deficiente hac corporis organizatione discedit quoque et anima e corpore; ita ea completa a Deo in Corpus infunditur.

V. Hinc Theologi prænarratam Naturæ æconomiam in membrorum corporis humani evolutione animadvertentes, statuerunt Masculi corpus quadraginta diebus; Fæminæ vero octoginta animari. A qua sententia nunquam recessit Ecclesia cum pœnas adversus procurantes abortum fætus Animati stabilivit. Quamobrem qui medicamen-

tis,

Digitized by Google

tis, aut alio quovis modo Mulieri partum abigere tentant post quadraginta dies a conceptione, quamvis certo non constet utrum fætus fuerit masculini sexus; Excommunicati tamen, irregulares, atque ad Ecclesiastica Beneficia inhabiles habendi sunt. Cum enim natura perfectum gignere nitatur, fætus masculini sexus, qui est fæmineo perfectior, semper est existimandus.

VI. Sua igitur sponte fluit quid prænarratis difficultatibus sit respondendum. Aut igitur potionem illam Plautilla sumpsit post quadraginta dies, aut prius. Si prius quam quadraginta dierum cursus a conceptione completus extiterit, cum fætus ut inanimis ab Ecclesia habeatur, ultra gravissimum scelus Episcopo fere reservatum, ambo ab excommunicationis pæna sunt immunes, & complex ab irregularitate quoque, & aliis pœnis. Sin autem post quadraginta dies cum fœtus existimetur jam animatus, hoc in casu ambo excommunicatione sunt innodati, a qua Episcopus, et ille Confessarius ab Episcopo ad hoc expresse deputatus, valent absolvere. Complex autem effectus est irregularis, quæ irregularitas tolli ab ipso non potest, nisi Sedis Apostolicæ venia. Cum enim Sixtus V. stabiliverit: *Super irregularitate præmissorum occasione contracta nec per Locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per Nos, & Romanos Pontifices nostros Successores, & tunc nonnisi urgentissimis de causis, dispensari possit.* Gregorius vero XIV. hanc Sixti moderando Constitutionem sermonem fecit tantummo-

do

do de peccato, et de excommunicatione, tribuendo Episcopis, Confessariisque ab ipsis Episcopis specialiter ad hoc deputatis facultatem ab istis absolvendi. Quo ad irregularitatem vero Sixtinam Constitutionem in suo vigore reliquit: Dicit enim: *Constitutionem prædictam sic duximus moderandam, ut a peccato, et excommunicatione ... quilibet ad hos Casus specialiter per Loci Ordinarium deputatus ... in foro conscientiæ tantum absolvendi habeat facultatem*. Ergo ab irregularitate hac dispensare non valet, nisi Summus Pontifex, et hoc urgentissimis de causis.

Hæc, Venerabiles Sanctuarii Administri, de expositis Quæstionibus tam in Symbolum Constantinopolitanum, quam in Dei, Ecclesiæque Præcepta, et Sacramenta, necnon et in Censuras pro vestra humanitate accipite. Ego interim pro hujus Operis coronide, quod humiliter Ecclesiæ falli nescio judicio submitto Deum, O. M. Origenis verbis contra Celsum *lib. 3. ad init.* oro, atque obtestor: *Deus faxit ne mens nostra ejus aspirationis vacua* Disquisitiones hasce exequatur, ut *fides eorum, quibus prodesse optamus, non sit in humana sapientia; Sed accepto Christi Spiritu, ab eo, qui solus eum dat Pater, adjuti in percipiendo Verbo Dei, demoliamur omnem altitudinem attollentem se contra Dei notitiam; Ut eo, qui dat verbum evangelizantibus virtute multa nobis, quoque id præbente, multamque virtutem donante, apud Lectores fidem impetremus per Verbum, atque virtutem Dei*.

Finis Tertiæ Partis.

MAG 2857

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google